7.

ORATIO REGIS POLONIÆ LEGATI CHRISTOPHORI PRZIEMSKI

AD

REGEM SVECIÆ

Habita COLO $\frac{18.}{28.}$ Augusti An. 1655.

Et ad illam

Responsio per Epistolam

ERNESTI PACIANI

Item

REGIS SVECIÆ

LITERÆ UNIVERSALES

AD STATUS REGNI POLONIÆ,

ET

LITERÆ REVERSALES

MAGNI DUCATUS LITAVANIÆ

DE FIDE REGNO SVECIÆ

SERVANDA.

21

Anno M DC LV.

5.

LEGATIO
PERILLUSTRIS
DN. CHRISTOPHORI PRZIEMSKI,
Cubicularii Regis Poloniæ,
AD REGEM SVECIÆ
exposita & peracta COLO. 18/28. Augusti anno M. DC. LV.

Serenissime Rex, Domine Clementissime,

MIrari satis non potuit Serenissimus Rex ac Dominus meus clementissimus JOHANNES CASIMIRUS cum Senatu suo, accepto primo nuncio, intrasse exercitum Ræ. Mtis. Tæ. Duce Wirtenbergio fines Regni sui. Tum vero stupere etiam magis cæpit, cum personam Ræ. Mtis. Tuæ alio exercitu stipatam advenisse intellexisset. Me igitur tam Serenissimus Rex meus, qvam etiam Senatus ad Tuam Majestatem delegare voluerunt, ut tantum scire possimus, qvis ille sit affectus & animi impetus, qvi Majestatem Tuam eo usqve impulerit. Vehementem enim esse oportet, qvi nullis hucusq; mediis, non de pace tractatibus, non legationibus in Sveciam missis, non sanis Pactorum & induciarum vinculis cohiberi potuit. Ad iram & indignationem non satis causæ videmus. Qvod enim tantum facinus vel Rex noster vel Resp. commiserunt, ut tam severa ultione illud vindicare Majestas Tua in animum induxerit? Nos, Deo teste nihil tale scimus. Inducias semel factas semper sanctissime coluimus. Svecis in Germania bellum gerentibus, & rebus nostris pace tum florentibus, licet multoties in societatem belli contra ipsos invitaremur, nunqvam publice nocere voluimus: antiqvior enim nobis fuit fides semper, qvam utilitas. Qvod si privati aliqvi hostium rebus favebant, multi etiam fuerunt, qvi Svecis operam suam navarunt: tot Borussi, Livones, Curlandi, Regni Poloniæ subditi, tum & ipsi Poloni, probati nominis, in vestris castris militarunt. Testis est vel

frater

frater meus germanus Sigismundus Przemski, bene Majestati Tuæ notus, & jam tristi hoc bello nostro à Barbaris nuper extinctus; vel ego ipse, qvi non tantum sub signis GUSTAVI illius MAGNI, Avunculi Majestatis Tuæ, tyrocinia mea exercui, sed etiam non ita pridem Galliæ Regi, Sveco fœderato, non contemnendam Polonorum manum ad expugnandum Dunkerkum adduxi, nec inanem, ut credo, per biennium operam præstiti. Cancellariæ etiam errores, vel alia minutiora, non tanta fuerunt, ut armis vindicari deberent. Est igitur aliqvid aliud. Dicerem, esse cupiditatem divitiarum; sed scimus, hoc animi vitium longè à natura Majestatis Tuæ abesse: & ex Regno tam misero, lacero & devastato qvid jam amplius extorqveri potest? Octennium est, ex qvo Regnum hoc bellis, & qvidem atrocissimis, affligitur; & qvot anni, tot verè clades, atqve exercitus vel cæsi vel dissipati, totq; iterum reparati. Qvale tandem est imperium, qvod tantis calamitatibus non succumberet? Qvales thesauri, qvi non extenuarentur? Intrasti, Rex Potentissime, provinciam viciniorem, majorem scil. hanc Poloniam, & civitates, ut ab incommodis belli remotiores, ita etiam feliciores. Considera miserorum hominum pauperiem, & inde de aliis locis, qvi propius malo siti fuerunt, vel in qvibus bellum geritur, judica, qvantopere exercitus ex illis ditabuntur. Nullæ hic urbes opulentæ, non mercatores divites, non auri vel argenti fodinæ. Divitiæ nostræ annui fructus sunt ex pecore & campis; qvæ omnia si ab exercitibus tam Majestatis Tuæ qvam nostris, consumantur, agricultura cessabit. Nec ullæ unqvam contributiones sperandæ, imo metuendum, ne nobis & exercitibus tuis fame sit pereundum. Si igitur nec satis causæ ad iram, nec multum incitamentorum ad cupiditatem Majestas Tua habeat, suspicari cogimur, Majestatem Tuam aliis stimulis adductam, ut nobis bellum inferret: Famâ nempe & gloriâ, verissimis humani ingenii oblectamentis. Sed qvæ hæc gloria? Dum nos cum hostibus immanissimis pro salute & vita decertamus, Tu, Rex potentissime, nos etiam armis occupas. Si gloriam vis, veram, non vanam qvære: vera autem erit, si aliena non appetens suum cuiq; tribuas. Rumor est apud nos, velle Te protegere Poloniam. Si hoc est, protegas gentem contra hostes immanissimos: Populo libero libertatem non adimas: Regi legitime

à nobis

à nobis electo & Tibi sangvine juncto Regnum serves. Tunc verò Te non pro Protectore, sed etiã Benefactore habebimus, & Conservatori nostro Tibi trophæum erigemus. Majorem inde consequeris gloriam, qvam si maxima Regna Tuo amplissimo adjicias Regno. Sed si Regnum hoc vi & armis Majestas Tua in animum induxit occupare, putatne, hoc firmum fore imperium, & Sveciæ jungi posse Poloniam? Disjunctissima sunt hæc Regna: divisit natura mari: dissociavit constitutio imperii & religio: discrepant legibus, moribus, habitu, lingvâ: in nulla re sibi hi populi sunt similes, nisi ferociâ, discordiarum omnium fomite. Vt igitur partum imperium bonis artibus administrari posse, Majestas Tua non speret, sed semper ad secures & supplicia recurrendum erit. Qvæ verò hæc gloria, ex Principe benigno & clementi mutari in crudelem & truculentum Dominum? Aliam ergo, Magnanime Princeps, ingredere viam, & nobis parce. Pacem jam petimus, deprecamur bellum, &, qvid à nobis Majestas Tua postulet, ut aperiat, rogamus: Nos Majestati Tuæ in omnibus satisfacere satagemus. Gradum tantum sistat, cum armis ulterius non progrediatur, & de pace toties oblata nobiscum tractare non dedignetur.

EPISTOLA
ERNESTI PACIANI
AD
CHRISTOPHORUM PRZIEMSKI
DE ORATIONE
AD
REGEM SVECIÆ
COLI HABITA.

VIdebar, Przíemski, aliqvod operæ pretium facturus, si svasorias tuas pro pace vel induciis impetrandis rationes exactius perlustratas tibi rursus sisterem, ostenderemq; pro voto tuo implendo satis efficaces eas esse non posse, qvanqvam Rhetorica industria nihil non egisse videaris; ex ea gente alias natus, qvæ, Scholasticis insuper habitis, tumori & minis propius, qvam pre-

precibus, loqvi fvevit. Qvicqvid fit, unicum tuum fcopum fuiffe apparet, ut pacem petendo bellum omnino deprecareris. Atqve ut in eo accurati pariter judicii virum agere ac præterea humaniter fatis te gerere oftenderes, ad Inventionum & Topicorum loca converfus, tria præcipue argumenta mutuatus es, qvibus magnanimo Regis Sveciæ propofito gloriæ nervos fuccideres, aut pulcherrimo operi langvorem faltem injiceres. Igitur, ut feliciter ordireris, ab admiratione aufpicari cæpifti: Regem Sveciæ fcil. tanto cum exercitu in Poloniam migraffe, ad id qvidem te obftupefcere. Qvafi vero Poloni nullius culpæ rei; aut Senatorum Regni Sveciæ ad Senatores Polonicos literis non effent admoniti, vel deniq;, qvod orbi univerfo tabulis publicis patefactum eft, te unum fugere debeat; aut nunc demum, qvum Rex Sveciæ Warfaviam properet, expeditio Sveoica ad aures Polonorum perveniat? Ego verò, Prziemski, verecundum duco, Polonos, Regem Sveciæ ubivis fupplantare certos; Palladium Regni & Infignia Sveciæ fibi vendicantes; illuftres Legationum operas eludentes; controverfiarum ante LX. prope annos ortarum lites inexplicabilioribus femper tricis, turbis & prorogationibus implicantes; qvin infuper Externorum fœdera in detrimentum rei Svedicæ follicitantes; claffem qvoq; externam in mare Balthicum ad commerciorum ufum & antiqvam Septentrionalium Regnorum libertatem frenandam pellicentes; amicorum animos, qvantum in iis eft, avertentes; multaq; alia contra jus & fas agentes; domi adeo ociofos fuiq; immemores effe, ut, Qvid aut Qvibus hoc faciant, Qvidve mereantur, ne qvidem per fomniũ cogitent. En piè riteq; fervata fæderis induciarumq; facramenta, ad qvæ tam audacter provocas, Prziemski. Mihi crede, rem leviculam Svecis non videri, Polonũ Regem nunc in Livonia, Ofelia, Pomerania fibi vel attrahendis vel perdendis; nunc in juvando inimico, vel bonos Svecorum conatus impediendo, Majorum fuorum male fidis veftigiis fic infiftere, ut hæc eadem in Svecorum internecionem & contemptum vergentia non folum probet, & qvibuscunq; artibus rurfus premat & urgeat, fed etiam Inftrumento publico utrinq; probata improbet, pacta conventa fusq; deqve habeat, Regi Sveciæ (licet aliter nuper monitus,) Titulos Regios & Sigillum, adeoq; Regnum ipfum, non dicam, invideat; fed ipfi

 tan-

tantùm non negat, sibi verò attribuat, & ludificantibus nescio qvibus coloribus tueri pergat: id verò est, qvod vel patientissimi Regis animum lædere, visceraqve rumpere ac ad justam vindictam excitare possit. Sed publice Polonos læsisse videri nolis Przimski? Cur igitur reos non dediderunt? cur proterviam non castigarunt, cum Ministri Svecici de facinoribus qvererentur? cur connivêrunt? cur malè facta extenuarunt? cur tacendo dissimularunt? Forsan digni visi sunt Sveci, in qvos intolerabilia & erectis animis indigna admitterentur, utpote qvos Poloni (ut Starovolscius palam profiteri non erubescit) minimi semper faciebant. Non ineptè ergo in oratione tua suspicatus es, Przimski, ob has & similes causas bonos sensus confundi, animos fodicari, odium justum subnasci, & furorem tandem armorum erumpere, ad vim Sacris Regiis dignitatiqve illatam fortiter arcendam, & nefas expiandum, donec pœnam eò extendi posse intelligatur, ubi culpa & ludificatio annuatim & sine fine augescit. Horum omnium si, ut bene suspicatus, ita rationem subduxisses, Przimski, opus non fuisset, adventum armorum Svecicorum tanto cum stupore mirari, utpote qvæ Polonus Rex primum merito suo, deinde per consensum & ministerium voluntatis Regiæ, causæqve iniqve favorem, Respublica ipsa in se concitarunt. Satis enim, ni fallor, Regi Sveciæ causæ subest arma capiendi, ad se suamq; & Regni dignitatem non in præsens modo, sed, qvod Regis est, contra futura etiam ingruentia mala tuendum, si qvi causas belli nunc omnes sedulo ignorat, qvibuscunq; occasionibus immineat, ut Regi Regnoq; Sveciæ inhiare pergat. Prætorqvere collum injuriæ oportet, qvam ad te perveniat. Lentum præterea ac subsomnolentum foret, si, cum Princeps iniqvis factis & appropinqvante periculo lacessatur & urgeatur, ad justam iram & vindictam subinde non excandesceret, nec animum acueret. Fructum verò tantæ expeditionis, qvi præclare facta cum justa æstimatione & conjuncto decore nunqvam non comitari solet, ut asseqvantur Sveci, non est cur adeo sollicitus sis, Przimski, qvo nimirum Procuratore Sveci nihil qværere statuerunt. Ipsis tamen prospiciendum est, ne operæ suæ pretio omnino defraudentur, totq; sumptus impendisse, tot maria ac terras frustra obiisse perhibeantur. Fallor enim, aut egestate non adeo premitur

illa

illa Poloniæ pars, qvam aggreſſi ſunt, ut ſuper ſuſtentationem exercitus nihil non pretioſi repperiant, qvod ad plura & majora animo calcar addat. Vivunt adhuc Svecorum nonnulli, qvi ſibi in memoriam facilè revocant, qvæ ante aliqvot annos à Polonis eluctando extorſerunt. At ipſimet Poloni ſcriptis & ore nunqvam non aureas chimæras, gemmas, utenſilia & reliqva ſua vaſa argentea, phalerasq; & ornamenta eqvorum, ſuorumq; ſplendorem habituum, & reliqva non planè avararum manuum invitamenta, ambitione qvadam verborum ſupra cæteras gentes jactare oſtentareq; ſolent: qvæ omnia cum bellica ſtudia animent, adeoque luxuriæ Polonicæ ſufficiant, qvin moderato militum qvoq; Svecicorum uſui, compenſationiq; cedant, faciantque, ſatis hactenus negatum non eſt, niſi in qvantum propitia victoris clementia deditis ſalutem & patrocinium indulſit. Cæterum copia agrorum & terræ fœcundæ abundantia, qvatenus præcipue Speciæ finibus contermina eſt, magnam utiqve ſpem militibus alendis & venturæ ſecuritati certum autoramentum monſtrat, ne Poloni, qvod prædæ ſuæ diu deſtinarunt, impune devorent. Qvanqvam autem magna pars hujus militaris expectationis procul eſſet, nihil tamen ſatisfactioni Svecorum deeſſet, qvandoqvidem ratio & conſcientia rectè facti ſatis locuples merces eſt. Et habent, de qvo Regi Speciæ gratias meritò agant Poloni, qvod, cum ingruentibus Barbarorum tempeſtatibus & inundationibus impares ipſimet ſint, aliqvam Poloniæ partem ſub alas ſuas recipere, & adverſus vim tueri inſuper non habeat. Rectè enim atq; ordine illi faciunt, qvi, cum ſeipſos vel regere vel defendere neqveant, aliis ſui tutelam committunt. Nihil etiam juſtius à juſto Rege fieri poteſt, qvam ſi iis opem ferat, qvi laborant & periculis objiciuntur. Neceſſitas qvædam verò imponitur, ut hoc faciat, ſi vicinus patitur, ne periculum incendiumq; ad eum qvoq; trajiciatur. In hiſce procul dubio vera gloria repoſita eſt, Przimski, niſi, cum alibi gloriam ſectandam contendas, ſvadeasq; Polonos tuos ſolos inglorios facere malis. **Ego verò vel maximum gloriæ campum apud magnanimos, ambitioſos, propriæq; laudi ſatis addictos Polonos qværendum cenſuerim, ut diſcant aliqvando, Svecis qvoqve pectora animari non ad ſuſtinendum ſolùm, qvæ illi inferre parant, ſed ad antever-**

tendum mala proposita, adeoq; eos ultro aggrediendum, &, qvotqvot justæ reluctantur subjectioni, debitis frenis cohibendum. Idq; ne non feliciter eveniat, neqvicqvam vereris, Przimski, qvod Svecica natio Polonaq; apprime differant habitu, lingva, moribus, institutis & religione. Næ sodes injuriam Regi Sveciæ aperte facis, si iis versaris cogitationibus, ut, cum Casimirum, suos Polonos malè defendentem, nihilominus idoneum judices ad regendam simul cum Polonia Sveciam, cui etiam tantopere insidiatus est hactenus, &, si vires superessent, ultro appeteret; Regem verò Sveciæ simul cum suis ditionibus Poloniam regere posse verearis. Vehementer erras, si nondum intelligis, Carolum industriæ suæ, prudentiæq; tam militaris, qvam togatæ, majus documentum & prius dedisse ac etiamnum dare, qvi ab infimis propemodum militarium munerum ad altissima gloriæ grassatus, exercitus in Germania non ita pridem sic rexit, ut multis virtutum argumentis probata in patriam fide Optimæ Principi, Regiæq; domui insigne ornamentum esset, mox etiam Principali sedi summo cum omnium applausu destinaretur. Nunc verò singulari Dei providentia Sceptra imperii adeptus, unius spatio anni ea effecit, qvibus in se suasq; actiones multorum oculos animosq; cum admiratione convertit. Nimirum Deus Imperiorum auctor & stator, qvibus ad imperia provehenda pro instrumentis uti constituit, iis plerumq; sceptra peculiari modo tradit, successumq; cœlitus largiri solet. Cæterum qvi Svecones & Danos aliqvos, Germanosq; & Livones, & Russos, moribus, lingvis & longo intervallo differentes moderatur, diffidendum non est, qvin Polonos etiam sub æqvabili placidoq; obseqvio gubernare possit. Legibus enim suis qvemq; vivere permittit: præterea nec habitus nec lingva multum turbabunt, si cætera concordant. Ea enim gens est utraq; , ut in alterius instituta & consvetudines facilè migret. Leges verò, lingvas & mores alienos adeo facilè addiscit, utroq; miscet, & sic componit, ut brevi tempore pro nativis agnoscat. Neutri nunc qvicqvam externum aut minus conveniens videri debet, ex qvo utriusq; nationis juventus per peregrinationis experientiam aliena mirari desiit, nihilq; novum arbitrari. Ne nunc exempla adducere necesse habeam Regnorum & Rerumpublicarum, qvæ olim hodieq; sub uno feliciter imperio & guberna-

culo

culo nationes plures, moribus & lingvis diversas, complexæ sunt hodieq; complectuntur. Qui benignitate, æqvitate & clementia imperium suum temperaverit, ei candida & læta omnia erunt; etiam hostes æqviores, qvam alii cives. De Religione qvid dicam? Orandus est Deus pro revocandis seductis animabus, qvibus vocibus si cœlum faverit, lætabimur Christiani. Sin verò in fatis adhuc fuerit, differri quibusdam lucifugis Evangelii opes, non est, cur propter paululum diversa in Religione sentientes justitiâ non negatur Polonia, qvæ hactenus plus, qvam ullum aliud Regnum, religionum varietate luxuriavit. Diuturnus etiam usus satis superq; docuit, servatâ cuilibet sui libertate sensus, imperia sobriè geri, salutemq; populi sub germano regimine procurari posse, si habenæ in manus tam prudentis & benigni Regis inciderint. Sed de eo in futurum, cum de obseqvio conventum fuerit, solliciti erunt Sveci. Nunc Przimski, si qvid in te artis est, cum reliqvis Polonis hoc age, ut pax cum æqva satisfactione militantium, & autoramento de amplius non offendendo, Svecis primo qvoqve tempore reddatur, aut per infestas & dolosas inducias bellum deprecari desine. Vale.

Literæ Universales

S. R. MAJESTATIS SVECIÆ,

Qvibus

Senatores & Universa Nobilitas

REGNI POLONIÆ

pro suscipienda tutela & patrocinio
intra diem 20. Octobr. st. v. 1655.

Warsaviam convocata.

NOS CAROLUS GUSTAVUS, Dei gratiâ Svecorum, Gothorum, Vandalorumq; Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Westphaliæ, nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ & Montium Dux, &c. Senatoribus, Dignitariis & univer-

universæ Nobilitati, Terrarum in Palatinatu Siradiensi, gratiam & favorem nostrum singularem. Non potest vos latere, qvam gravibus causis moti simus, ad capienda adversus Regem Poloniæ arma, præveniendaq; ea mala, qvæ Nobis, Regnoqve nostro, à dicto Rege jamjam imminere vidimus. Huic armorum nostrorum Justitiæ ita suffragata est Divini Numinis bonitas, ut, sine ullo impedimento, non modo nostræ potestatis fecerimus urbem sedemqve Regiam Warsaviam, sed etiam felici progressu magnam partem Poloniæ victrici nostra manu peragrati simus, spe certâ freti: DEUM OPT. MAX. consilia actionesq; nostras porrò prospero eventu beaturum. Qvamvis verò arma nostra ulterius proferre possemus, atq; eo, qvo datum est, modo victoria uti adversus eos, qvi partibus se nostris non adjunxerunt: tamen cum ea sit indoles nostra, ut Clementiam & benignitatem potius nostram, qvam iram & indignationem testatam facere velimus; proinde vos hisce clementer serioq; invitamus, ut viso lectoq; hoc Diplomate propere ad protectionem tutelam & patrocinium nostrum confugiatis, & omni cum Poloniæ Rege commercio renuncietis, intraq; diem 20. styl. vet. proxime instantis mensis Octobris Warsaviam vel ipsi veniatis, vel Deputatos vestros sufficientibus mandatis instructos mittatis. Qvod si feceritis, promittimus, libertatem Religionis immutabiliter conservatum iri. Deinde milites nostros ab omni Procerum & Nobilium, Civitatum, Castrorum & subditorum violenta invasione, deprædatione ac direptione inhibebimus; atqve commercia cum finitimis, qvantum ob injurias temporum fieri poterit, tuta & secura præstabimus, ac postremo eorum desideriorum, qvæ Statum, Dignitatem & Jura vestra concernunt, condignam rationem habebimus. Si hanc gratiam & benignitatem nostram aspernati fueritis, nec vos à Rege Poloniæ separaveritis, neq; qviete vixeritis, vos pro hostibus habituri & possessiones bonaqve vestra Fisco nostro subjecturi sumus. Qvibus vos Deo clementer commendamus. Dabantur Casimiriæ ad Crakoviam d. 30. Septembr. Anno 1655.

Carolus Gustavus.

Pro-

Procerum & Ordinum

MAGNI DUCATUS LITHUANIÆ LITERÆ REVERSALES

De Fide, Subjectioneq;

REGIBUS ET REGNO SVECIÆ

æternùm præstanda, servanda.

Nos Magni Ducatus Lithuaniæ Proceres & Ordines.

UNiversis & singulis, has inspecturis & lecturis, ad perpetuam rei memoriam notum testatumqve facimus: Qvod cum majoris partis Magni Ducatus Lithuaniæ, patriæ nostræ charissimæ, à Moscho occupatio & oppressio, tum à Sacr. Reg. Majestate Sveciæ, post belli contra nos declarationem, imminens summum periculum, nec non à Serenissimo Poloniæ Rege, JOHANNE CASIMIRO, omnis consilii, auxilii atqve opis, aliorumqve omnium necessariorum mediorum destitutio ac defectus, evidentem nobis imponerent necessitatem communi nostræ saluti invigilandi, & de modo in tuto collocandæ publicæ rei prospiciendi, ac Serenissimi ac Potentissimi Principis ac Domini, Domini CAROLI GUSTAVI, Svecorum, Gothorum, Vandalorumqve Regis, Magni Ducis Finlandiæ, Ducis Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Wendæ, Principis Rugiæ, Domini Ingriæ & Wismariæ, nec non Palatini Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium Ducis, gratiam & protectionem expetendi: Eadem verò Sacr. Reg. Majestas Sveciæ clementissimum suum in nos animum, paratamqve in avertendis discri-

minibus & in gratiam ac Protectionem nos recipiendi voluntatem, per Plenipotentiarios suos, Illustrissimum & Excellentissimum Dominum MAGNUM GABRIELEM DE LA GARDIE, Comitem in Leckôe & Arensborgh, L. Baronē in Eckholm, Dynastam in Habsal, Magnushoff & Hoyentorp, Sacr. Reg. Majestatis Regnorumqve Sveciæ Senatorem ac Thesaurarium, Generalem Ducatus Livoniæ, civitatisqve Rigensis Gubernatorem, Generalem Exercituum, statusqve bellici per Livoniam, Esthoniam atqve Ingriam Vicarium, Academiæ Upsaliensis Cancellarium, nec non Westrogothiæ & Daliæ Legiferum; ut & Illustrissimum & Excellentissimum Dominum BENEDICTUM SKYTTE, L. Baronem de Duderhoff, Dynastam in Grönsiö, Mörby, Skytteholm & Strömsrum, Eqvitem Auratum, Sacr. Reg. Majestatis Regnorumqve Sveciæ Senatorem, Gubernatorem Esthoniæ, Generalem Castellanum Arcium Revaliensis & Wittensteinensis, Academiæ Dorpatensis Cancellarium, & ad Exercitus Legatum, declararet atqve benigne offerret. Nos itaqve, qvemadmodum de datâ Mensis Julii, Anni currentis, Sacr. Reg. Majestatis Sveciæ, omniumqve futurorum Sveciæ Regum subjectioni nos & omnes posteros nostros de facto subjecerimus, ita præsentibus hisce publice declaramus atq; attestamur. Qvod, qvandoqvidem neq; per leges naturæ, incolumitatis & vitæ nostræ, Patriæq; plane oppressæ rationem posthabere, neq; duobus Dominis, inter se hostilibus armis decertantibus, per rerum naturam subesse possemus; atq; divinam destinationem tam inevitabili necessitate nobis declaratam debita veneratione agnoscentes, fataliq; ordinationi reverenter subjicientes, tum verò singularem Sacræ Reg. Majestatis Sveciæ clementiam & gratiam, qvâ nos patriamq; nostram complecti, præsentiq; exitio eripere dignatur & promittit, grato animo perpendentes, nostro posterorumq; nostrorum omniū nomine, scientes & volentes, proprio motu & deliberato consilio: Primum obseqvio subjectioniq; supradicti Serenissimi Poloniæ Regis Johannis Casimiri in totum renuntiamus, omne ejusdem jus in hunc Magnum Ducatum Lithuaniæ annihilamus, nullumq; præsentibus testamur & declaramus: Tum verò sub fide, honore & conscientiis nostris juramenti loco sanctè pollicemur, spondemus

&

& hisce profitemur, Nos & Posteros nostros solam prædictam Sacr. Reg. Majestatem Sveciæ, futurosq; omnes Sveciæ Reges, pro legitimis nostris Regibus & Magni Ducatus Lithuaniæ Ducibus, Dominis nostris clementissimis, nunc agnoscere, & in posterum perpetuò agnituros, Eisdem debitam subjectionem, fidem, reverentiam & obseqvia sanctè & inviolabiliter perpetuò præstituros. Cuncta verò damna & incommoda prædictæ Sac. Reg. Majestati, futurisqve omnibus Sveciæ Regibus, Statuiq; eorundem undecunque imminentia, & jam cum vitæ & fortunarum nostrarum periculo semper & ubiq; præcauturos & pro posse nostro aversuros. Nulla qvoq; fædera, Societates, Uniones, Tractatus, amicitias, &c. cum ullo Monarcha, Rege, Duce & Republica, vel qvacunq; alia potestate, eorumq; ditionibus aut subditis inituros, qvibus etiam, si qvæ antehac sancita fuissent, hisce renuntiamus, sed solos eos socios, fœderatos, unitosq; & amicos agnoscere & agnituros, qvos S. R. Majestas futuriq; omnes Sveciæ Reges & Regnum Sveciæ nunc pro talibus habent, vel in posterum habituri sunt. Contra omnes illos hostes pronunciare & pronunciaturos, qvos iidem hostes vel nunc declararunt, pel posthac declaraturi sunt. Viceversa omnia, secundum Transactionis pacta, inter prædictos Illustrissimos & Excellentissimos Dominos, Sacr. Reg. Majestatis Plenipotentiarios, & nos conclusa, ac ab iisdem Illustrissimis Dominis Plenipotentiariis cum Nobis Proceribus & Ordinibus Magni Ducatus Lithuaniæ subscripta, exacte observatum iri nobis stipulantes. Supradictis hisce omnibus & singulis articulis nulla Papalis, Episcopalis aut Ecclesiastica, sive qvævis alia dispensatio, protestatio & absolutio, nec non Comitiorum, conventuum, vel alia decreta contravenire, vel minimam remoram injicere valebunt. In cujus rei majorem fidem præsentes, manibus nostris subscriptas, sigillis propriis communivimus. Datum Keidani, d. Octobr. Anno 1655.

L. S.

PANEGYRICUS

CAROLO GUSTAVO
Magno Svecorum, Gothorum,
Vandalorumq; Regi, incruento Sarmatiæ Victori, & qvaqvâ venit Liberatori, Pio, Felici, Augusto:

Heroi Afflictis insolatia, Regibus in exemplum, nato.

AD

SACRAM REGIAM MAJESTATEM SVECIÆ.

UT nova Sarmatico LUX illucesceret Orbi,
Splendens Arctoo prodis ab axe jubar!
Diffugiunt tenebræ, radios nihil impedit, atq;
Prona, perennanti lumine, Terra micat.
Regie Phœbe, procul diffundere lumina perge!
Curia, Templa micent! splendeat Aula, Forum!

VV. T. L. B. de B.

O Minosa Septentrionis tempestas qvorsum ruis? Pluviam an Grandinem nuntias? Primane fulminibus tuis objicitur Polonia? perdenda an salvanda? Res ipsa loqvi incipit, & nos alloqvi Te, Aqvilonarium istarum nubium Ductor, *Carole Gustave*. Te inqvam, qvem trimestri hôc solum unum Europa tota loqvi incipit: qvia gesta Tua, qvorum fama subitò implevit Orbem, mirari & stupere incipit. Ignorabat Te adhuc Orbis, qvinam esses, & ad qvid fatis destinatus: nunc animadvertere incipiunt, amici & hostes, fulmen Te esse in Omnipotentis manu, ad exseqvendum nondum scimus qvalia, ominamur tamen salutaria Cœlorum, de reddendis Terræ serenitatibus, decreta. Tale enim opus, Pacis & Salutis, cum ipso exorientis Belli fragoso tonitru ecce inchoas! Debellandæ superbiæ prudiisti Septentrionale fulmen: & victorias à parcendo subjectis auspicaris? qvàm heroicè! incruentas Tibi sic victorias, ex hostibus Tibi sic parturus amicos. Qvem enim eminus contemnere poterat, & qvem cominus non trepidare non poterat, Polonia, hostem, jam ecce agnoscit & veneratur amicum, vindicem, sospitatorem! O mira fatorum vis, qvæ ubi Tu tantus Virtutem explicares Tuam, ubi tàm laborantibus succurreres rebus, talem & tantum Tibi hunc elegerunt campum, *Sarmatiam!* Res hîc tàm malè steterant, ut pejus non possent, foris domique. Foris erant barbari hostes, Bonis & Vitæ: domi simulati amici, Libertatibus inhiantes, religiosis & politicis. Eoq; res devenerat, ut consiliò, ære, viris & viribus exhausta, cadaver Reipublicæ videri potuerit Polonia: qvia Gentem Polonam (qvam inter arma, & propemodum cum armis nasci novit Orbis) sic annis aliqvot fatigaverat astuta crudelitas, ut nisi Tu intervenisses armis Tuis, illisq; reddidisses robur & animos, succumbendum fuisset. Agnoscimus ergò Te, Cœli delicium, à supremo rerum Moderatore huc submissum, ut cùm hostibus nostris accedere videreris novus hostis, subitò appareres adventare Sospitator: à cujus præsentia hostibus extraneis injectus est terror, ut progredi non auderent; domesticis autem insperata consternatio, ut non sustinentes expectare conspectum Tuum, ultrò diffugerent: aut certè vix conspectô adventu Tuô, terga darent. Adduxisti enim Tecum Bonæ Causæ fiduciam; & Terribilem illum Jehovam Exercituum, à cujus conspectu

ſpectu liqveſcunt montes, & diffugiunt maria. Inde illi tam celeres & omnibus admirandi progreſſus Tui. Nempe cùm diviſa per tot loca (in Livonia, Lithuania, Boruſſia, Polonia) potentiâ Tuâ, de primùm aggredienda Majore Polonia cogitares, mox illam à Tuis ultroneâ deditione occupatam accepiſti. Poloniam vix ingreſſus, ex Lithuania & Curlandia lætum nuntium, illas Tuam in fidem tranſiiſſe, accepiſti. Rurſum ad Regni ſedem Varſaviam adeundam cùm adjeciſſes mentem, illam ab hoſtibus derelictam, & omni præſidio nudatam, Tibi ſervari cognoviſti: adiiſti igitur, & jure illo qvô, qvod nullius eſt occupantis fit, occupaſti. Cùm cedentem æmulum ad Regni Metropolim, Cracoviam, inſeqvi animum induxiſſes, cedere ille perrexit, & vix hinc inde levi tentatâ velitatione (tametſi Exercituum numerô ſuperior) fugere non deſtitit, donec & Regni limites (à conſpectu Tuo nusqvam ſibi tutus viſus) exceſſit, eoq; ipſo Regnum & Sceptra victricibus Tuis manibus reſignavit. Qvis prudens horum ſpectator non audire ſibi videatur vocem illam Dei ad Iſraelem ſuum: *Terrorem meum præmittam ante faciem Tuam, & fundam omnem populum, ad qvem ingredieris, cunctorumq; inimicorum Tuorum terga vertam coram Te.* (Exodi 23, v. 27.) Et è contrario illam pavitantium Ægyptiorum vociferationem: *Fugiamus! nam Dominus pugnat pro eis contra nos!* (Exod. 14, 25.) Unde diſcimus, & diſce Tu Auguſte eſſe Majeſtatem ſupra Nos, qvæ ut cætera qvæ Mortales gerunt, ita Bellorum cauſas & motus, initia & progreſſus, moderatur: Regnaq; aut tradit aut eripit, comminuitq; aut firmat, qvibus viſum eſt. Qvanqvam qvid dixi ut hæc diſcas? Nobis illa diſcenda ſunt. Tu pridem hæc noſti, ideoq; cum illa Numinis Majeſtate jam ante ſuſceptum hoc Bellum fœdus iniiſti, & renovas qvotidiè, nocturnas horas perpetuò inter ſomnum & preces; diurnas inter colloquia cum hominibus & cum Deo, dividens: & qvod aſſeverant intimarum Tuarum actionum conſcii, ſemper plus Deo quàm hominibus converſans. Macte hâc virtute magnanime Heros! exprime ſic feliciter antiqvos heroas ſanctos! ſic demùm, ut illi, *facturus in Deo virtutes, qvi ipſe conculcabit hoſtes Tuos.* (Pſ. 60, 13.) *Sic ſis Uncte Dei! Cuſtodi vias Domini, neq; Te averte à Deo Tuo! Sint judicia Ejus in conſpectu Tuo, & juſtitias ejus ne repelle à Te. Immaculatus eſto cum Illo & ſerva Te purum ab iniqvitate.*

Ita

Ita ille cum sancto erit sanctus, & cum innocente innocens. Ita populum humilem salvum faciet, & oculos superborum humiliabit. Illuminabit Dominus lucernam Tuam, illuminabit Deus Tuus tenebras Tuas. In Domino conteres Exercitus (si qvi se opponent porro) *in Deo Tuo transibis murum.* Agnosce tantùm constanter, ut agnoscere discant alii, *non esse Deum prater Dominum: nec ullam rupem prater Deum nostrum. Illum Deum, qvi Te pracingit virtute: qvi disponit Pedes Tuos tanqvam cervorum, & super Excelsa statuit Te. Qui docet manus Tuas ad pralium, & frangit Arcus ferreos brachiô tuô. Qvi Te clypeo salutis protegit, & dexterâ suâ sustentat. Dilatat gressus Tuos sub Te, ut non vacillent pedes Tui. Facitq; Te persequi inimicos Tuos, & eos comprehendere, & non reverti donec consumantur. Confringes eos, nec poterunt stare: cadent sub pedes Tuos: Clamabunt, nec erit qvi salvos faciat: etiam ad Dominum, nec eos exaudiet, &c.* Tu autem cum Davide dices: *Vivat Dominus, benedicta rupes mea! Exaltetur Deus salutis mea! Deus qvi dat vindictas mihi, & subdit populos sub me: Liberator meus de inimicis meis, &c.* (Ps. 18, v. 24. &c.)

Redeo ad ea, qvæ humanitùs Tibi Triumphatori dici possunt. Vicisti? Triumphas? Factum agnoscimus insolitâ felicitate. Haud scio, an quis unquam ita Bellum orsus & terminârit. Nempe ut priùs triumpharet, qvàm vinceret: priusq; vinceret, quàm hostem videret. Novum hoc victoriæ genus in Te inchoari voluit supremum Numen, ut Te ad inusitata natum ostenderet. Multùm sibi Julius Cæsar illô suô, *veni, vidi, vici*, nempe hostilem Exercitum unum, placuit. Tu plures exercitus, integraq; Regna, *Veniendo & Videndo Vincis.* Amplissimum Poloniæ Regnum unô trimestri Tuum factum est totum. Julii enim 15. (25) die, Major Polonia Tuæ se dedidit fidei: Octobris 6. (16) Cracovia, Minoris Poloniæ totiusq; Regni Caput, suas Tibi pandit portas, suaq; Regia Palatia, & Regalem Thronum, tradidit. Eademq; die Quartianus Miles, universum scilicet reliqvum Polonicæ Militiæ robur, fascibus Tuis sua submisit Vexilla: atq; sic tota Polonia Te salutare cæpit Regem. Inusitata hæc esse dico, rara, mira: sed quantò magis inusitata, rara, mira, tantò magis time, nequid inusitatæ infelicitatis tantæ se intermisceat felicitati. Non frustra dictum est, *Fortuna cùm maximè splendet, frangitur.* Ipse mortalium felicissimus triumphis

Alexan-

Alexander, magnus magnarum Gentium Domitor, docere id exemplô suo potest: qvi qvàm citò de Orbe subacto, tàm citò adversa sors & mors de illo dejecto, triumphavit. Memineris ergò Rex Magne (spero qvidem Te facturum, etiam nullo monitore) *Fortunam reverenter habendam*: *Gentiq; libera sic imperandum, ut illi parere libeat.* Benevolentiâ eos vincere potuisti, poteris & retinere: Asperitate (qvam qvidem à Te alienam ipsa natura esse voluit) nihil nisi in deterius proficitur. Infinita Te id Exempla, ex universa historia deprompta, docebunt. E sacris notum est, qvàm insperatò unâ die hæreditariô Regno exciderit Roboâ, qvod placiditate retinere potuisset in perpetuum (1. Reg. 12.) Oblitus nimirùm paternæ illius gnomæ, *In bilaritate vultus Regis Vita, & clementia ejus qvasi imber serotinus.* (Prov. 16, 16) Tu autem, qvi Terror esse cœpisti Gentibus armatis Spes esse incipe Orbi arma deponenti. Liberis imperare non poteris, nisi liberaliter. *Nihil violentum diuturnum e qvia malus diuturnitatis custos Metus.* Diligi præstat qvàm metui. Illud autem: *Oderint dum metuant*, Neronibus, Domitianis, Caracallis, cæterisq; lævis numinibus, relinqvendum.

Resistunt qvidem Tibi Polonorum nonnulli, aut certè inviti Tuo se submittunt Sceptro: qvia virtutes Tuas non intelligunt, nec intentiones salutares. Ut ergò intelligant, virtutes virtutibus cumulando, malevolentiamq; benevolentiâ vincendo, efficies. *Barbari aut viles homines* (inquit Livius) *ubi licentia adest, plerumque sævi sunt. Mites in ea moderati, ingenui sangvinis & stirpis.* Utrosq; Tibi objicit Polonia: tùm efferos & immites, animas viles, assultantes & morsicantes, rursumq; resultantes, c. num instar: cum moderatos & svaves generosum sangvinem & heroicum, pactorum tenaces, & fidei datæ constanter memores. Ill s domari si necesse, tutissimè id horum adhibitô consiliô facturum Te crede: qvia venenum in Animali venenato, ne subjectum suum perimat, ipsa balsamicâ ejusdem animalis virtute optimè temperatur. Audio sanè qvorundam, tantâ illâ Tuâ lenitate abutentium protervitate, offensorum, voces: *Polonos Nobiles, aqvè ut plebem servili esse ingenio, nec libertate ullâ rectè uti, ad omnia potiùs illiberalia abuti: serviliter igitur indiscriminatim tractandos, ut ferociam deponant: Libertates illis non minuendas, sed adimendas penitus.* Eo tamen, qvisqvis sum,

in contraria penitus sum sententia: neq; scilicet Tibi à Te, Rex magnanime, ob alienam stultitiam esse abeundum, neq; ut magnanimos Polonorũ spiritus à seipsis abire jubeas. Nec enim vel hoc vel illud poterit. Notum illud Pyrrhi de Fabricii Romani, hostis tùm sui, virtute pronunciatum: *Citius Solem à tramite suo, qvàm Fabricium à rectitudine iri amotum.* Speramus & heroicam Tuam animi Celsitudinem, non priùs à seipsa qvàm Cœli cardines à loco suo, emotum iri. Persta igitur, dissimilis Tui fieri ne incepta! sic benignitate pervinces, promitto. Neq; fieri potest, ut qvicqvid generosi spiritus inest sangvini Polono, extingvatur illico: Vis naturæ hàc parte erumpere prohibita, erumpet alibi fortius: dabitq; plus damni illegitimas sibi aperiens vias. Nec optabis imperare asinis: præstat hominibus. Homo autem obtuso spiritu, & à sublimitate sua dejectus, qvid rudi & abjecto distat asello? Deus ipse, ut ne coactis imperaret liberum dedit Angelis & Hominibus arbitrium, qvo splendidius & augustius redderet imperium suum. Et qvisqvam sibi hoc nomine magnus videatur, qvod metu adactis, seu pecudibus imperet? Cave persvaderi, Rex magne! Deum Tibi propone imitandum, cujus imaginem geris, ut Regnum Tuum Regni Dei referat imaginem! ut spontanei obseqvii, ita Majestatis, plenissimum. Poloni ergo maneant Poloni, animæ sublimes! asperitas tantum auferatur ab hoc indomito spiritu, ut blandescat in se, æqvè fortis futurus extra se, ad perdomandum suos & Tuos hostes. Norunt Chymici, qvorum mysteria non penitus ignoras Tu, Minerales spiritus, non fortes tantum sed & feroces, ita tractare arte, ut cruditas ab illis & asperitas, lethalis scilicet nocendi vis, auferatur: ipsa virtute forti non imminuta, depurata tantum, eoq; modo aucta. Et nescias Tu, hostiles & amicos animos tractandi artifex, blando excelsi Tui favoris igne Humanos spiritus ita sublimare, ut separatis & combustis Polonicæ ferociæ scoriis, mera maneat Polonica virtus? Generosum scilicet illud honestum, cedere nisi sublimiori nescium. Prolapsi qvidem sunt nonnihil, & à pristina Majorum gravitate aberrarunt Poloni, fatendum est: at illam nondum deseruerunt tamen. Libertatis amorem retinent tenacissimè, mori paratiores, qvàm illâ privari: tametsi dormitatione qvadam eo abducti, ut libertatem avitam diutius tueri vix potuissent,

sine

sine externi alicujus auxilii interventu: si tamē servitutis undecunqve inferendæ metus erit, redibit profectò victis etiam (nondum autem sunt) in præcordia Virtus, Tibiq; victorias faciet ambiguas.

Qvid ergò restat? Redde illis Libertates! sed auctas in majus & melius. Id autem qvomodo? Extendendo Libertatem ad *Omnes*, & ad *Omnia*, & *Omnimodè*. *Ad omnes*, jubendo liberos esse omnes & singulos in universum, *Proceres Regni, Nobilitatem inferiorem, Civitates & Oppida, Plebemq; ipsam Rusticanam suo modo & gradu.* Non aliqvi tantùm Gentis hujus sint liberi, sed Omnes: nempe ut qvisq; à maximis ad minimos, securè sua possideat; innocens nemo oppressionē (seu apertâ vi, seu juris prætextu) metuat: vivere & mori cuiq; suo loco liceat. Dico, *Libera debere esse Omnia, Corpora, Mentes, Conscientias*: ut ne qvisqvam alteri compedes injiciat, hujus, illius, ...ius, respectu. Imprimis ut manus liberè in cœlum attollantur, ...m diversè de Deo sentientium; dummodò Deum colant, non ...ehement. Sola irreligiositas, & consveta (eheu!) Deum blasphemandi, & peccatis irritandi, libido, interdicta esto. *Omnimodè* ...iam Pax & Libertas concedenda erit: præstando, ut vera sit Pax, veraq; Libertas, non Pacis & Libertatis nomen, umbra, larva, fucus. Qvod erit, si non ampliùs impunè peccandi, & in alios sæviendi licentia, Libertas vocetur, sed libertatis teter abusus, tetris etiam coërcendus pœnis: ut neqvis sub Libertatis falsæ imaginatione exlex sibi videatur.

Qvò & hoc spectabit, ut Tuos exemplo Tuò *Parcere subjectis & debellare superbos*, imitandoqve non minus modestiam & continentiam, qvàm strenuitatem Tuam, commendare se & Te doceas. Magna Militiæ labes est, si milites inter amicos & hostem exiguum ponant discrimen: Provinciasq; qvibus liberaadis aut defendendis conducti sunt, vastent. Ut ne memorem, rapiendi aviditatem sæpè retardasse, imò amisisse victoriam: aut certè imminuisse Victoris laudes. Militiam igitur exerceant Tui, non latrocinium! Poloniam latrociniis non assvetam ne contaminent novi hospites: ut ne dici possit, Te deteriorem reddere, qvàm accepisti, Poloniam. Et qvia observatum est, Non tàm Svecos Tuos, qvàm admistam Gentium turbam, immodicis rapinis Poloniam populando dedecorare triumphos Tuos, coge eos, Svecorum Regi militantes, Svecorum

eorum sequi non tantùm fortitudinem, sed & modestiam. Aliàs Tibi & Disciplinam Tuam, (quâ cessante cessabunt Victoriæ) corrumpent, & Tuos. Sed & quos Provinciis in ordine continendis præficis, sangvisugas esse ne permitte, Rex clementissime: ut ne qvi pro Te tanqvam suo jam sibi divinitùs dato Rege, Deum orant, exactionibus nimiis exhausti, & ad incitas redacti, non pro Te, sed contra Te suspiria mittendi occasionem habeant. Fac, amabò, ut servandæ, non perdendæ, Poloniæ causâ Te venisse, optime Rex, intelligant Omnes: Illi etiam ipsi, qvi res administrant Tuas. Qvod si intelligunt, meminerint simul, boni esse Pastoris tondere, non deglubere, pecus. Aut si hoc non attendunt Illi, attende Tu, cujus maximè interest, ut Regnum qvàm minimè labefactatû, favorisqve erga Te plenissimum, accipias. Amare Te incipiant omnes, non metuere aut odisse: qvia solus Subditorum Amor firma Regibus præstare Sceptra potest. *Multitudinis autem Amor vehementer movetur*, inqvit Cicero, *Libertatis, Beneficentiæ, Fidei, justitiæ, cæterarumq; Virtutum, quæ pertinent ad mansvetudinem & facilitatem, famâ & opinione.* Qvæ ubi absfuerit, avertit se Amor: tàm certò, ut ne Sol qvidem desideretur nisi ideò, ut radios suos impertiat: ad refocillandum tamen, non ad comburendum. Et ut Bilanx in eam vergit partem unde plus accipit, ita hominum favor eò, unde plus utilitatis sperat. Ut ergò Poloniam totam habeas faventem, & cum omnium publico applausu regnes, totam Clementiæ ac Justitiæ scutò defende. Nec tamen mala solùm ab illa ut propellas, sed bonis eam undiq; ut cumules, melioremq; qvàm accipis reddas, cogita. Nempe imitando *Augustum ex Roma lateritia marmoream efficientem*, Tu Auguste ex Polonia forti fortiorem, opulenta opulentiorem, celebri celebriorem, facere stude. Spartam nactus es illustrem: illustribus hanc ornare modis, laudi Tibi cedet. Non aliud habes, qvod constitutus hôc fastigiô agas, atqve ut Solem cœlestem imitatus subjectæ servias Terræ, illamq; collustres, calefacias, fœcundes, totam. Unicum Principis munus est, publicis prospicere commodis; huic rei si operam dederis sanctè, verum Dei simulacrum eris. *In hoc Reges Deo serviunt*, inqvit Augustinus, *si in regno suo bona jubeant, mala prohibeant.* Prohibe igitur Latrocinia, rapinas, furta, cædes, tumultuationes, impuritates, & qvicqvid impium,

um, barbarum, Virtutibus contrarium est; jube qvietem, pacem, securitatem, mores castos & honestos, pietatem deniq; ! & omnes feres punctum. Cæteris Mortalibus in eo stant consilia, videre qvid sibi conducere possit: Principum sors longè diversissima est. Consilia scilicet Principum omnia (si invisibilem Deum visibiliter volunt referre) tantùm ad salutem Reipubl. dirigenda sunt: qvia hic non suâ causâ, sed aliorum, fuit, ut Nauclerus in navi. Non bonus autem fuerit Nauta, qvi se malit servatum qvam Navem. *Ad Utilitatem datur Spiritus*, inqvit Apostolus. Atqvi, Tibi multus datus Spiritus, Sapientiæ & intellectûs, Consilii & fortitudinis, Scientiæ & pietatis: ergò ad multam & multorum utilitatem. *Nullâre homines propiùs accedunt ad Deum, qvàm salutem Hominibus dando*, Cicerone id observante.

Qvid autem multis? Summa Votorum, qvæ optimi qviqve concipiunt, huc redit, ut Poloniæ jam Tuæ, ut cæteris Tuis Regnis, ut Nobis omnibus Virtutum Tuarum admiratoribus, Felicitatisq; applausoribus, hanc unam præstes gratiam, *ut TE SERVES ! ut EUNDEM TE, qvi es, serves !*

TE servabis, Tuæ Vitæ parcendò, periculis illam non exponendo. Etiam Magnanimitatis modus est, Magnanime Princeps. Cave igitur, per omnia sacra obtestamur, omnia spernere pericula, cave negotia, qvibus discrimen subest, per Te potiùs qvàm per alios administrare! adeoq; proprii corporis objectu hostiles injurias propellere. Non optabat Israël Davidem in hostes egredi secum, ne extingveretur lucerna Israël (2.Sam.21.17.& 18.3.) nec optamus Te Nos, jam Tui. Cave Tibi qvæsumus ab amicis & hostibus, domi forisq; ! invidia tàm parum abesse potest à tantis Virtutibus & felicitate Tua, ut à corpore in Sole ambulantis umbra. Etiam ab amicis ut caveas, dixi: simulati enim sunt, & erunt, multi; qvi Solem orientem adorabunt potiùs qvàm occidentem, haud sincere. Non deerunt, spero, qvi de nimiâ etiam familiaritate cavendâ monebunt. Nimiam certè Humanitatem Tuam, & observant, & mirantur, & prædicant, ipsimet Poloni: qvi Tabulæ Tuæ Regiæ non solùm adesse pateris qvosvis, ignotos etiam, sed & ministeria Tibi præstari à qvibusvis. Eqvidem non ignoro, optimô jure laudibus vehi illam Trajani vocem, qvi Amicis incusantibus, qvòd Impera-

toriæ Majestatis parum memor, nimium esset omnibus expositus, respondit: *Talem præstabo Imperatorem privatis, qvalem optarem ipse privatus*. Rectè hoc sanè tùm, ubi Virtutis erat æstimium, & apud Omnes respectus honesti. Non satis rectè nostro ævò, ubi proditiones, perjuria, cædes, parricidia etiã & Regicidia, clam palã regnant.

Rogamus deinde, ut Te nobis Talem diu serves, imò semper qvalẽ jam conspeximus & intuemur: *Augustum, Prudentem, Strenuum, Magnanimum, Clementem, Justum, Liberalem, Pacificum, Pium, Felicem* deniq;: ut nobis ipsissimã æterni Regis, Dei, referas imaginem.

Augustum Te salutare cupimus, dùm optamus, ut Imperium Majoribus partum non angustare sed ampliare, possis, scias, velis. Qvod fiet, non Provincias amittendo, sed amissas recuperando: nec vastari permittendo, sed vastatas nitori restituendo: omniaq; in majus provehendo. Cui rei bonas ministrabunt occasiones *Ukrainæ* inhabitabiles adhuc tractus, ampli & ubere glebã, omnibusq; naturæ dotibus affluentes: haud indigniores Coloniis deducendis, atqve Hollandis Indiæ visæ, seu Orientales seu Occidentales: & certiore ob vicinitatem, spe. Modò ab infestatione vicinæ Barbariei tutos præstandi non desint artes: qvas Tibi non defore speramus.

Ideò enim Te nobis constanter qvoq; optamus *Prudentem*, ut Te ad prævidenda omnimoda Patriæ hinc in commoda inde utilitates, *Argum* habeamus centoculum: & *Strenuum*: ut in illis subitò amoliendis, hisce promovendis, *Briareum* habeamus centimanum. Et qvia prudentiæ non postrema pars erit observare, si qvid fuit, qvod Prædecessores Populo huic reddebat suspectos, ut caveatur, fuit autem perpetua ferè intentati jugi suspicio: eam proinde Tu, prudentissime Princeps, ut Scyllam & Charybdin vitabis. *Strenuitatis* autem præcipua pars erit ad omnia, qvæ fiunt, pervigil Oculus: qvùm non deceat dormitare illum, qvi ad clavum sedet, præsertim tempore, qvò Navis tempestate jactatur. *Nullum autem Mare tàm graves habet tempestates unqvam atq, omne Regnum assiduè*, inqvit Veterum non nemo. Semper itaq; Principi vigilandum est, neqvid erret: qvia non nisi publicã pernicie errare potest.

Expediet etiam Te constanter *Fortem & Magnanimum* esse: ut neqvid sit, qvod Te à salutariter in publica cõmoda cogitatis avertere possit. Sicuti nec animũ frangere, si non omnia semper ex voto

eve-

eveniant: aut si qvibus prodesse qværas, ingrati sint. Qvis plura mortalibus beneficia exhibet Deo ipso? & qvis plus reportat ingratitudinis? Frustra speres, Serenissime Rex, ullâ obtinere arte ut placeas omnibus: in eo præsertim Populo, ubi omnibus adeò diversum est, & plerisq; corruptum palatum. Sufficiet placere Deo & illis, qvibus Deus & Virtus cordi sunt: cæteri eminus seqventur, tametsi non omnes assegvantur, præfulgidum illum & amabilem, Dei, Virtutis, Tuum splendorem.

Clementiam verò, singulare illud Regum ornamentum, diuturnitatisq; Regnorum basin, prorsus facies Tuam: non sub initia tantùm, (juxta illud Taciti, *Novum Imperium inchoantibus utilis Clementiæ fama*) sed perpetuò. Qvippe Illius tantùm Principis magnitudo stabilis est, qvē omnes non tàm SUPRA se qvàm PRO se esse sciunt, & cujus curam pro salute suâ excubare intelligunt. Nempe Bonus Princeps non aliò animò esse debet in suos Cives, qvàm bonus Paterfamilias in suos Domesticos; qvid enim aliud est Regnū, qvàm magna Familia? Talem si Te hoc Tuo in Regno exhibueris, efficies, ut Te plus ament qvàm metuant Tui: adeoq; nemo bonus metuat, soli sibi malignitatis conscii. Qvin & hi, si emēdabiles, potiùs Te sentiāt emendatorē, qvàm perditorē. Nempe qvia Clementia potissimùm circa ignoscendas culpas versatur, bonum est Poëtæ monitum:

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox:
Qviq; dolet qvoties cogitur esse ferox.

Et qvia *summum in Regibus bonum est justitiam colere, ac sua cuiq; jura servare* (verba Gregorii Magni sunt:) *nec sinere qvod potestatis est, fieri, sed qvod æqvum est custodiri.* Tu ergò summus Justitiæ Tuo in Regno Præses, ut Nemo usqvam innocens lædatur, Nemini non qvod suum est tribuatur, nec aliter qvàm pro meritis cuiqvam, seu bono seu malo, eveniat, summè accurabis. Etiam in bonorum & Honorum distributione, non alia qvàm merita spectans, sine prosopolepsia ulla: non Viris dans officia, sed officiis Viros. Habes hoc in Regno publicè benefaciendi amplissimā facultatem, qvalem vix qvisqvam in Europa Regum; si sapiens Majorū institutum legitimū revocetur in usum. *Nobilitas egentior pecuniis Juvanda est à Principe,* inqvit Tacitus: ne videlicet virtutibus alicubi obstet res angusta domi, & qvi per virtutem egregiè Patriam juvare possent, ut ne defectu nervi.

nervi deficiant. Expenderunt hoc probè, qvi Remp. Polonam formârunt: dum possessionũ terrestrium ad minimum sextam Regni partem in certos Capitaneatus distribuerunt, assignatos & assignandos (suis cum reditibus) iis, qvi qvàm optimè de Patria meriti aut meriti essent, ipsorũ Regum, tanqvã publicæ salutis Custodũ, arbitriò. Pulchrè admodum. Sed pulchrũ hoc Virtutẽ Civium præmiis provocandi machinamentũ tetrum in abusum, ut cætera, venerat; dum non accipiebat qvi meruerat, sed qvi emerat, seu pretiò seu adulatione. Qvæ res infinitarum confusionum scaturigo fuit: qvas Tu Rex sapientissime ac justissime sistere poteris, si hæc Reip. beneficia nonnisi juxta merita distribui curaveris: ut non accipiat qui accurrit primus, sed dignissimɔ: seu præsens seu absens, seu poscens, seu poscere verecundans. Qvò fine bonum esset Te supremũ Tuo in Regno virtutum Æstimatorem, omniumq; publicorum bonorũ & honorum Diribitorẽ, Calendarium publicorum Beneficiorũ habere constitutum: in qvo data & danda, cum catalogo illorum qvi beneficiò Reipubl. vivunt, aut vivere digni sunt, consignata exstent, ad errores hìc faciliùs posthac præcavendos.

Justitiæ qvoq; insignis pars erit *Libertates promissas, aut etiam juratas, tueri, & unicuiq; servare: Religiosas præsertim.* Acqviesces ergò Rex Populorũ esse: Conscientiarum Regem patieris esse Christum: ut Antecessores Tui, Sigismundus Augustus, Stephanus, & qvicunq; regnârunt feliciter, suò contenti soliò, Dei non invadentes Thronũ. Observabis (est enim observabile) Poloniã, jam Tuam, ob Religiosa dissidia nondũ se fraterno Christiano sangvine cruentâsse: nec alienum hac in re sine scientia Zelũ imitatam. Constituisse potiùs jam pridem Civibus suis Religione dissidentibus mutuam Tolerantiam, juratò fœdere firmatam. Hoc ergò Religiosum Fœdus, & serva Ipse, Religiosissime Rex, & servare alios coge, violari prohibe. Perjuria semper fuêre abominationi Domino, nec illa dimittit impunita, etiamsi Turcæ data non servetur fides. Recordare Uladislai & Varnæ! si hìc alii peccant (qvi hæreticis non servandã esse fidem malè opinantur) qvid hoc ad Te? Peccent si volunt alii, nõ Tu: provocentq; ultionem Dei alii, non Tu. Juravit enim per seipsum Deus, ne Regum qvidem ulli se condonaturum juramenti prævaricationem. Ezech. 17. v. 16. ad 21.) Cave igitur, Rex, cave per sanctum Dei nomen!

Jamq;

Jamq; aliud accipe, per qvod salutare TE servatorem suum qveat Polonia: ut sis *Rex Pacificus*. Notum est illud: *Salus Reipubl. in Legibus est*: Illud item, *Inter Arma silent Leges*: cujus veritatem tot annis suorũ & hostiliũ Armorum collisione misera experitur Polonia, tot violentiis totalem in dissipationem data. Tu ergò Rex optime, ut Reipublicæ salus redeat, Pacem reducito: utq; redire qveat Pax, Arma qviescere jubeto, simul atq; Virtuti Tuæ advertantia conqvassata fuerint arma. Non Æolum Te sibi jam optat Polonia, procella ex Bellis (qvibus misera succubuit) proflantem, sed Solem nubila dispellentem, serenitatemq; rebus suis reducentem. Satis jam irati Dei procellarum subvertentium montes, & conterentium petras, concutientiumq; terram, & absumentiũ igne, experta est. Jam sibilum auræ lenis prospectat. Desinant ergò sub Te Principe Pacis turbines & procellæ, domi forisq;. Desinat qvisq; alium, seu ob Religionis diversitatem, seu aliam qvamcunq; ob differentiã, perseqvi aut affligere, Te litigiorum seqvestrô, concordiæq; Magistrô. *Solet populus*, inqvit Gregor. Nazianzenus, *etiam si ad tempus iram cohibeat, tanqvã ignis in ligno delitescens, aut fluvius vi coercitus, occasione iterum oblatâ reaccendi & erumpere*. Qvod ne in Tuo eveniat Populo, non sopire tantùm, sed extingvere penitùs, mutuorum odiorum ignẽ qværes: idq; non studia, qvibꝰ in contraria scinditur vulgus, fovendo, neq; rursum illa tanqvã torrentis impetũ, vi coërcendo; sed prudenter aliovorsum derivando, qvô se nullâ cujusqvã noxa effundat. Deriva igitur sapiens Aqvilex! occupando Gentis hujus industriã Pacis & Concordiæ artibus, ut ne se vanis & noxiis intricare, perplexare distrahere ac dissipare, pergant.

Optat qvoq; Polonia Te sibi liberalem, ingenuũ, apertum, qvô & ipsa ingenio est: non occultum, tectum, insidiosum, qvalia odit. Machiavellistas ergò, qvi Tibi arcanas Populum frenandi instillare velint artes, ne admitte; Diabolismũ resipit qvicqvid versutiam redolet. Deus omnes homines liberos fecit, Satanæq; astu sub jugum missos per Filium libertati restituit: qvi artes suas, salvandi nos, nõ in occulto habet, omnia in propatulo peragit, in Ecclesiæ Ministerio. Tu ergò si salutare Opus, qvod Tibi hoc cum Populo susceptum est, agis, publicè age. Et qvia Te id agere multi credunt, & exspectant (*publica autem exspectatio magni secreti impatiens est*, monente, Tacite) fac ne aliud suspicandi cuiqvam ansa relicta sit, malignissimo etiã. In Sole sint, qvæ Sole teste peragi debent. Et qvia *Vulgus amicitias utilitate probat*, promitte utilia, Libertatem omnigenam, & inde venientem Pacem, Securitatem, Rerum abundantiam, Florentemq; statum probabit. Sed ita, ut non promittas solùm, præstes etiam. Præstabis autem, si ductum Tuum seqvi non renuent Illi, Tu autem Dei; qvi non solet non prosperare consilia

 ipsius

ipſius conſiliis (pro ſalute mundi) conſona, cum invocatione Nomi
ejus ſuſcepta, & in ejus gloriam directa.

Quò vehementer conferet, adeoq; unicè, ut ſis conſtanter PIUS, Deo
Tuo intimè adhærens. *Cor Principis ſicut Prudentiæ oculus, Juſtitiæ libra, Fo
titudinis ſedes, Gratiarum fons, ita & Dei Templum eſſe debet* : demumq; cu
Deo, & in Deo Virtutem faciet, ſtabilisq; cum omnibus negotiis ſuis, &
rum qvi ab eo pendent, erit. Aliàs, ſicut *Paxillus, niſi benè fixus firmiter ali
fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet, dilabitur cum omnibus ad terrã : ſi
Princeps, niſi ſuo Conditori pertinaciter adhæſerit, & ipſe, & omnis qvi ei con
tit, citò deperit*, ſcribit Auguſtinus Pater. Cui addo illud cujusdam Chriſ
ni Politici: *Credere Mundum humanis conſiliis regi, ſubtilis atheiſmus eſt.*

Has virtutes dum levi delineo penicillò, non aliqvid à Te diverſum,
Te ipſum Tibi oſtendo, Princeps clariſſime : eò fine, ut dum Virtutũ Tu
conſcium eſſe Mundum intelligis, à Teipſo nusqvam abeundi neceſſi
Tibi imponi ſentias. Si ſecùs feceris, publicâ noxâ feceris. Ut enim S
eclipſis Terræ tenebras infert, rerumq; perniciem ſecum trahit : ita R
error, levis etiam, magnam in rebus humanis gignit perturbationẽ. N
pe qvia Regulam in ſe rectam eſſe neceſſe eſt, ſi qvæ illi applicantur, co
debent : Rex autem Populi Regula eſt : Recta igitur ſit, non plumbea,
illuc flexilis, ſed adamantina. Lapſus erigere lapſum non poteſt : nec
prolapſum Populum levare niſi erectus, ſublimis, fortisq; Princeps. Tr
gò ſic ſtatues, ô Rex, demum ſi erectus eſſe, ſublimis, fortis, conſtante
laboraveris, magnum ſimul & firmum Te futurum. Demum potentia
non erit Torrens ſubitis imbribus ortus, & mox deſinens : ſed Fluvius
tibus æternis ſcaturiens, eoq; qvàm diu volet Deus perennans, in ſalu
Gentium. Tantummodo vide, ut ſaluti Gentium, qvas Tibi ſubdit D
nantium Dominus, puriſſima intentione invigiles ! & hoc Salutis opu
auſpicia mox Regnorum Tuorum feliciter auſpiceris. Sunt enim ad q
rerum initia ardentiſſimi, non Plebis tantum, ſed omnium Noſtrûm,
mi : niſi tum res inchoantur, frigeſcunt poſt Omnia. Et qvia qvo Vict
eodem Populi favor inclinat, Tibi Victori ut invidere incipiunt mul
favere plurimi : videndum erit, ut qvemadmodum iſtorum invidia Te
tum, ita horum favor ad omnia, qvæ publicæ ſalutis ſunt, alacrem fac

Incipe igitur Magne Rex, poſt magnum celeriter confectum Vict
opus, feliciter jam aggredi conficiendũ hoc in Regno *Univerſalis Pacis* C
Univerſale dico Pacis Opus, ubi Omnibus benè ſit, & in Omnibus, & O
modè. Incipiat Polonia denuò, demùmq; verè, neſcire latrocinia : ſed
cipiat nunc demùm neſcire diffidia, æmulationes, mutuæ pernitiei m

n

rationes. Incipiant Poloni sub Te vero Salomone suo (dabit Deus!) sedere qvisq; sub vite sua, & sub ficu sua: liberati à metu barbararum Gentium, Mentiumq; barbarie. Ita fiet, ut qvemadmodũ peritus Pictor ex Tabula belle confecta voluptatem capit, sicut & Agricola, Olitor, Faber, suis qvisqve Operibus fruitur: ita Tu qvoq; honestissimam inde, constantissimamq; concipias voluptatem, si reductis ad optimas Leges (antiqvas vel novas) in hoc novo Tuo Regno omnibus, Rempublicam Polonam efficias florentissimam, veraq; Pace, & verè aureâ Libertate, fulgide rursum (post superatas tenebras) coruscantem in oculis Gentium.

Si tamen forte non solius Poloniæ terminis Virtutem Tuam terminari Fata velint: & alio Te, monstrorum domitorem, vocent, qvas superior æterna Providentia subministrare solet occasiones, ibis: Regnumq; Regi Christo, qvi Te qvoq; inter Satellites suos, Regniq; sui Custodes & Tutores constituit, militare; eosq; qvi regnare hunc, super se superbè nolunt, Tartaros, Turcas, aliosq; infideles, ubiubi caput efferre audent, debellare audebis. Nondum enim omnes Illius debellasti hostes, neq; Tuos. Infinito major gloria Tuæ superest messis, si ad infinito plures, utraq; tyrannide pressos, liberandum festinaveris. Aude festinare! aude fatorum decreta (ad qvorum tabulas propemodum admissus jam es) exeqvi. Aude nobis *Carolum Magnum*, Imperii Romani; aude *Gustavum Magnum*, Regni Gothici reparatorem, repræsentare! Et qvia ominosa hæc Nomina (*Caroli & Gustavi*) in Te jungi fata voluerunt, junge qvicqvid Magnum cogitari potest, Rex Magne, tam magnis qvas Tibi fata objiciunt occasionibus. Nec non profecto sine omine est, qvod celerrimarum victoriarum Tuarum fama Orientem usq; penetravit Constantinopolimq; terroribus implet. Aude tantum in Christiano prius Orbe res componere! aude Europæos Reges hortari, exemploq; Tuo docere, imponere Bellis finem, optimamq; rerũ, qvas homini novisse datum est, qvaqvaversus reducere, pacem! Illam di- coronam triumphis innumeris potiorem *Pacem*: illam rerum custodire salutem, & Cives æqvare potentem *Pacem*: illam demum plenum virtutis opus, laborumq; summam, *Pacim*: illam optimum, solumq; unum exantlatorum Bellorum pretium, Pacem, reducere ut discant & sciant Omnes. Repeto: Discant ex Te Reges *Bella gerere, Pacis causa*: qvod pleriq; nescire videntur. Illi nempe, qvi cum Vicinis bella gerunt perpetua, tanqvã motus causa, tanqvam lusus gratia: ideoq; centum etiam annis Bellum unum non finiunt. At hoc qvid est? Bella redintegrare immani sumptu qvotannis & recrudescente novo semper furore sangvinem fundere perpetuo; & Arces, Urbes, Provinciasq; limitaneas, mutuo sibi jam tradere jam recipere, sine fine? Annon hoc est *Nullo jaculari scopo*? Tu Poloniæ calamitosis tot

anno-

Ita ille cum sancto erit sanctus, & cum innocente innocens. Ita populum humilem salvum faciet, & oculos superborum humiliabit. Illuminabit Dominus lucernam Tuam, illuminabit Deus Tuus tenebras Tuas. In Domino conteres Exercitus (si qvi se opponent porro) *in Deo Tuo transibis murum.* Agnosce tantùm constanter, ut agnoscere discant alii, *non esse Deum prater Dominum: nec ullam rupem prater Deum nostrum. Illum Deum, qvi Te pracingit virtute: qui disponit Pedes Tuos tanqvam cervorum, & super Excelsa statuit Te. Qui docet manus Tuas ad pralium, & frangit Arcus ferreos brachiô suô. Qvi Te clypeo salutis protegit, & dexterâ suâ sustentat. Dilatat gressus Tuos sub Te, ut non vacillent pedes Tui. Facitq; Te persequi inimicos Tuos, & eos comprehendere, & non reverti donec consumantur. Confringes eos, nec poterunt stare: cadent sub pedes Tuos: Clamabunt, nec erit qvi salvos faciat: etiam ad Dominum, nec eos exaudiet, &c.* Tu autem cum Davide dices: *Vivat Dominus, benedicta rupes mea! Exaltetur Deus salutis mea! Deus qvi dat vindictas mihi, & subdit populos sub me: Liberator meus de inimicis meis, &c.* (Ps. 18, v. 24. &c.)

Redeo ad ea, qvæ humanitùs Tibi Triumphatori dici possunt. Vicisti? Triumphas? Factum agnoscimus insolitâ felicitate. Haud scio, an quis unquam ita Bellum orsus & terminârit. Nempe ut priùs triumpharet, qvàm vinceret: priusq; vinceret, quàm hostem videret. Novum hoc victoriæ genus in Te inchoari voluit supremum Numen, ut Te ad inusitata natum ostenderet. Multùm sibi Julius Cæsar illô suô, *veni, vidi, vici*, nempe hostilem Exercitum unum, placuit. Tu plures exercitus, integraq; Regna, *Veniendo & Videndo Vincis.* Amplissimum Poloniæ Regnum unô trimestri Tuum factum est totum. Julii enim 15. (25) die, Major Polonia Tuæ se dedidit fidei: Octobris 6. (16) Cracovia, Minoris Poloniæ totiusq; Regni Caput, suas Tibi pandit portas, suaq; Regia Palatia, & Regalem Thronum, tradidit. Eademq; die Quartianus Miles, universum scilicet reliqvum Polonicæ Militiæ robur, fascibus Tuis sua submisit Vexilla: atq; sic tota Polonia Te salutare cæpit Regem. Inusitata hæc esse dico, rara, mira: sed quantò magis inusitata, rara, mira, tantò magis time, nequid inusitatæ infelicitatis tantæ se intermisceat felicitati. Non frustra dictum est, *Fortuna cùm maximè splendet, frangitur.* Ipse mortalium felicissimus triumphis

Alexan-

Alexander, magnus magnarum Gentium Domitor, docere id exemplô suo potest: qvi qvàm citò de Orbe subacto, tàm citò adversa sors & mors de illo dejecto, triumphavit. Memineris ergò Rex Magne (spero qvidem Te facturum, etiam nullo monitore) *Fortunam reverenter habendam: Gentiq; libera sic imperandum, ut illi parere libeat.* Benevolentiâ eos vincere potuisti, poteris & retinere: Asperitate (qvam qvidem à Te alienam ipsa natura esse voluit) nihil nisi in deterius proficitur. Infinita Te id Exempla, ex universa historia deprompta, docebunt. E sacris notum est, qvàm insperatò unâ die hæreditariò Regno exciderit Roboâ, qvod placiditate retinere potuisset in perpetuum (1. Reg. 12.) Oblitus nimirùm paternæ illius gnomæ, *In hilaritate vultus Regis Vita, & clementia ejus quasi imber serotinus.* (Prov. 16, 16) Tu autem, qvi Terror esse cœpisti Gentibus armatis Spes esse incipe Orbi arma deponenti. Liberis imperare non poteris, nisi liberaliter. *Nihil violentum diuturnum: qvia malus diuturnitatis custos Metus.* Diligi præstat qvàm metui. Illud autem: *Oderint dum metuant*, Neronibus, Domitianis, Caracallis, cæterisq; lævis numinibus, relinqvendum.

Resistunt qvidem Tibi Polonorum nonnulli, aut certè inviti Tuo se submittunt Sceptro: qvia virtutes Tuas non intelligunt, nec intentiones salutares. Ut ergò intelligant, virtutes virtutibus cumulando, malevolentiamq; benevolentiâ vincendo, efficies. *Barbari aut viles homines* (inqvit Livius) *ubi licentia adest, plerumque sævi sunt. Mites in ea moderati, ingenui sangvinis & stirpis.* Utrosq; Tibi objicit Polonia; tùm efferos & immites, animas viles, assultantes & morsicantes, rursumq; resultantes, c[illegible]num instar: cum moderatos & svaves generosum sangvinem & heroicum, pactorum tenaces, & fidei datæ constanter memores. Ill[illegible]s domari si necesse, tutissimè id horum adhibitò consiliò facturum Te crede: qvia venenum in Animali venenato, ne subjectum suum perimat, ipsa balsamicâ ejusdem animalis virtute optimè temperatur. Audio sanè qvorundam, tantâ illâ Tuâ lenitate abutentium protervitate offensorum, voces: *Polonos Nobiles, aeqvè ut plebem servili esse ingenio, nec libertate ullâ rectè uti, ad omnia potiùs illiberalia abuti: serviliter igitur indiscriminatim tractandos, ut ferociam deponant: Libertates illis non minuendas, sed adimendas penitus.* Eo tamen, qvisqvis sum,

in contraria penitus sum sententia: neq; scilicet Tibi à Te, Rex magnanime, ob alienam stultitiam esse abeundum, neq; ut magnanimos Polonorū spiritus à seipsis abire jubeas. Nec enim vel hoc vel illud poterit. Notum illud Pyrrhi de Fabricii Romani, hostis tùm sui, virtute pronunciatum: *Citius Solem à tramite suo, qvàm Fabricium à rectitudine iri amotum.* Speramus & heroicam Tuam animi Celsitudinem, non priùs à seipsa qvàm Cœli cardines à loco suo, emotum iri. Persta igitur, dissimilis Tui fieri ne incepta! sic benignitate pervinces, promitto. Neq; fieri potest, ut qvicqvid generosi spiritus inest sangvini Polono, extingvatur illico: Vis naturæ hâc parte erumpere prohibita, erumpet alibi fortius: dabitq; plus damni illegitimas sibi aperiens vias. Nec optabis imperare asinis: præstat hominibus. Homo autem obtuso spiritu, & à sublimitate sua dejectus, qvid rudi & abjecto distat asello? Deus ipse, ut ne coactis imperaret liberum dedit Angelis & Hominibus arbitrium, qvo splendidius & augustius redderet imperium suum. Et qvisqvam sibi hoc nomine magnus videatur, qvod metu adactis, seu pecudibus imperet? Cave persvaderi, Rex magne! Deum Tibi propone imitandum, cujus imaginem geris, ut Regnum Tuum Regni Dei referat imaginem! ut spontanei obseqvii, ita Majestatis, plenissimum. Poloni ergo maneant Poloni, animæ sublimes! asperitas tantum auferatur ab hoc indomito spiritu, ut blandescat in se, æqvè fortis futurus extra se, ad perdomandum suos & Tuos hostes. Norunt Chymici, qvorum mysteria non penitus ignoras Tu, Minerales spiritus, non fortes tantum sed & feroces, ita tractare arte, ut cruditas ab illis & asperitas, lethalis scilicet nocendi vis, auferatur: ipsa virtute forti non imminuta, depurata tantum, eoq; modo aucta. Et nescias Tu, hostiles & amicos animos tractandi artifex, blando excelsi Tui favoris igne Humanos spiritus ita sublimare, ut separatis & combustis Polonicæ ferocia scoriis, mera maneat Polonica virtus? Generosum scilicet illud honestum, cedere nisi subliminori nescium. Prolapsi qvidem sunt nonnihil, & à pristina Majorum gravitate aberrarunt Poloni, fatendum est: at illam nondum deleruerunt tamen. Libertatis amorem retinent tenacissimè, mori paratiores, qvàm illâ privari: tametsi dormitatione qvadam eo abducti, ut libertatem avitam diutius tueri vix potuissent,

sine

sine externi alicujus auxilii interventu: si tamê servitutis undecunqve inferendæ metus erit, redibit profecto victis etiam (nondum autem sunt) in præcordia Virtus, Tibiq; victorias faciet ambiguas.

Qvid ergò restat? Redde illis Libertates! sed auctas in majus & melius. Id autem qvomodo? Extendendo Libertatem ad *Omnes*, & ad *Omnia*, & *Omnimodè*. *Ad omnes*, jubendo liberos esse omnes & singulos in universum, *Proceres Regni, Nobilitatem inferiorem, Civitates & Oppida, Plebemq; ipsam Rusticanam suo modo & gradu.* Non aliqvi tantùm Gentis hujus sint liberi, sed Omnes: nempe ut qvisq; à maximis ad minimos, securè sua possideat; innocens nemo oppressionê (seu apertâ vi, seu juris prætextu) metuat: vivere & mori cuiq; suo loco liceat. Dico, *Libera debere esse Omnia, Corpora, Mentes, Conscientias*: ut ne qvisqvam alteri compedes injiciat, hujus, illius, [illegible]ius, respectu. Imprimis ut manus liberè in cœlum attollantur, [illegible]ersè de Deo sentientium; dummodò Deum colant, non [illegible]hement. Sola irreligiositas, & consveta (eheu!) Deum blas[illegible]andi, & peccatis irritandi, libido, interdicta esto. *Omnimodè* [illegible] Pax & Libertas concedenda erit: præstando, ut vera sit Pax, [illegible]aq; Libertas, non Pacis & Libertatis nomen, umbra, larva, fucus. Qvod erit, si non ampliùs impunè peccandi, & in alios sæviendi licentia, Libertas vocetur, sed libertatis teter abusus, tetris etiam coërcendus pœnis: ut neqvis sub Libertatis falsæ imaginatione exlex sibi videatur.

Qvò & hoc spectabit, ut Tuos exemplo Tuò *Parcere subjectis & debellare superbos*, imitandoqve non minus modestiam & continentiam, qvàm strenuitatem Tuam, commendare se & Te doceas. Magna Militiæ labes est, si milites inter amicos & hostem exiguum ponant discrimen: Provinciasq; qvibus liberandis aut defendendis conducti sunt, vastent. Ut ne memorem, rapiendi aviditatem sæpè retardasse, imò amisisse victoriam: aut certè imminuisse Victoris laudes. Militiam igitur exerceant Tui, non latrocinium! Poloniam latrociniis non assvetam ne contaminent novi hospites: ut ne dici possit, Te deteriorem reddere, qvàm accepisti, Poloniam. Et qvia observatum est, Non tàm Svecos Tuos, qvàm admistam Gentium turbam, immodicis rapinis Poloniam populando dedecorare triumphos Tuos, coge eos, Svecorum Regi militantes, Svecorum

eorum seqvi non tantùm fortitudinem, sed & modestiam. Aliàs Tibi & Disciplinam Tuam,(qvâ cessante cessabunt Victoriæ) corrumpent,& Tuos. Sed & qvos Provinciis in ordine continendis præficis, sangvisugas esse ne permitte, Rex clementissime: ut ne qvi pro Te tanqvam suo jam sibi divinitùs dato Rege, Deum orant, exactionibus nimiis exhausti, & ad incitas redacti, non pro Te, sed contra Te suspiria mittendi occasionem habeant. Fac, amabò, ut servandæ, non perdendæ, Poloniæ causâ Te venisse, optime Rex, intelligant Omnes: Illi etiam ipsi, qvi res administrant Tuas. Qvod si intelligunt, meminerint simul, boni esse Pastoris tondere, non deglubere, pecus. Aut si hoc non attendunt Illi, attende Tu, cujus maximè interest, ut Regnum qvàm minimè labefactatû, favorisqve erga Te plenissimum, accipias. Amare Te incipiant omnes, non metuere aut odisse: qvia solus Subditorum Amor firma Regibus præstare Sceptra potest. *Multitudinis autem Amor vehementer movetur*, inqvit Cicero, *Libertatis, Beneficentiæ, Fidei, justitiæ, cæterarumq; Virtutum, qvæ pertinent ad mansvetudinem & facilitatem, famâ & opinione.* Qvæ ubi absfuerit, avertit se Amor: tàm certè, ut ne Sol qvidem desideretur nisi ideò, ut radios suos impertiat: ad refocillandum tamen, non ad comburendum. Et ut Bilanx in eam vergit partem unde plus accipit, ita hominum favor eò, unde plus utilitatis sperat. Ut ergò Poloniam totam habeas faventem, & cum omnium publico applausu regnes, totam Clementiæ ac Justitiæ scutò defende. Nec tamen mala solùm ab illa ut propellas, sed bonis eam undiq; ut cumules, melioremq; qvàm accipis reddas, cogita. Nempe imitando *Augustum ex Roma lateritia marmoream efficientem*, Tu Auguste ex Polonia forti fortiorem, opulenta opulentiorem, celebri celebriorem, facere stude. Spartam nactus es illustrem; illustribus hanc ornare modis, laudi Tibi cedet. Non aliud habes, qvod constitutus hôc fastigiô agas, atqve ut Solem cœlestem imitatus subjectæ servias Terræ, illamq; collustres, calefacias, fæcundes, totam. Unicum Principis munus est, publicis prospicere commodis; huic rei si operam dederis sanctè, verum Dei simulacrum eris. *In hoc Reges Deò serviunt*, inqvit Augustinus, *si in regno suo bona jubeant, mala prohibeant.* Prohibe igitur Latrocinia, rapinas, furta, cædes, tumultuationes, impuritates, & qvicqvid impi-

um,

um, barbarum, Virtutibus contrarium est: jube qvietem, pacem, securitatem, mores castos & honestos, pietatem deniq; ! & omne feres punctum. Cæteris Mortalibus in eo stant consilia, videre qvid sibi conducere possit: Principum sors longè diversissima est. Consilia scilicet Principum omnia (si invisibilem Deum visibiliter volunt referre) tantùm ad salutem Reipubl. dirigenda sunt: qvia hîc non suâ causâ, sed aliorum, sunt, ut Nauclerus in navi. Non bonus autem fuerit Nauta, qvi se malit servatum qvam Navem. *Ad Utilitatem datur Spiritus*, inqvit Apostolus. Atqvi, Tibi multus datus Spiritus, Sapientiæ & intellectûs, Consilii & fortitudinis, Scientiæ & pietatis: ergò ad multam & multorum utilitatem. *Nullâre homines propius accedunt ad Deum, qvàm salutem Hominibus dando*, Cicerone id observante.

Qvid autem multis? Summa Votorum, qvæ optimi qviqve concipiunt, huc redit, ut Poloniæ jam Tuæ, ut cæteris Tuis Regnis, ut Nobis omnibus Virtutum Tuarum admiratoribus, Felicitatisq; applausoribus, hanc unam præstes gratiam, *ut TE SERVES! ut EUNDEM TE, qvi es, serves!*

TE servabis, Tuæ Vitæ parcendo, periculis illam non exponendo. Etiam Magnanimitatis modus est, Magnanime Princeps. Cave igitur, per omnia sacra obtestamur, omnia spernere pericula, cave negotia, qvibus discrimen subest, per Te potiùs qvàm per alios administrare! adeoq; proprii corporis objectu hostiles injurias propellere. Non optabat Israël Davidem in hostes egredi secum, ne extingveretur lucerna Israël (2. Sam. 21. 17. & 18. 3.) nec optamus Te Nos, jam Tui. Cave Tibi qvæsumus ab amicis & hostibus, domi forisq; ! invidia tàm parum abesse potest à tantis Virtutibus & felicitate Tua, ut à corpore in Sole ambulantis umbra. Etiam ab amicis ut caveas, dixi: simulati enim sunt, & erunt, multi; qvi Solem orientem adorabunt potius qvàm occidentem, haud sincere. Non deerunt, spero, qvi de nimiâ etiam familiaritate cavendâ monebunt. Nimiam certè Humanitatem Tuam, & observant, & mirantur, & prædicant, ipsimet Poloni: qvi Tabulæ Tuæ Regiæ non solùm adesse pateris qvosvis, ignotos etiam, sed & ministeria Tibi præstari à qvibusvis. Eqvidem non ignoro, optimô jure laudibus vehi illam Trajani vocem, qvi Amicis incusantibus, qvòd Impera-

toriæ Majestatis parum memor, nimium esset omnibus expositus, respondit: *Talem præstabo Imperatorem privatis, qualem optarem ipse privatus.* Rectè hoc sanè tùm, ubi Virtutis erat æstimium, & apud Omnes respectus honesti. Non satis rectè nostro ævò, ubi proditiones, perjuria, cædes, parricidia etiã & Regicidia, clam palã regnant.

Rogamus deinde, ut Te nobis Talem diu serves, imò semper, qualẽ jam conspeximus & intuemur: *Augustum, Prudentem, Strenuum, Magnanimum, Clementem, Justum, Liberalem, Pacificum, Pium, Felicem* deniq;: ut nobis ipsissimã æterni Regis, Dei, referas imaginem.

Augustum Te salutare cupimus, dùm optamus, ut Imperium Majoribus partum non angustare sed ampliare, possis, scias, velis. Qvod fiet, non Provincias amittendo, sed amissas recuperando: nec vastari permittendo, sed vastatas nitori restituendo: omniaq; in majus provehendo. Cui rei bonas ministrabunt occasiones *Ukraina* inhabitabiles adhuc tractus, ampli & ubere glebã, omnibusq; naturæ dotibus affluentes: haud indigniores Coloniis deducendis, atqve Hollandis Indiæ visæ, seu Orientales seu Occidentales: & certiore ob vicinitatem, spe. Modò ab infestatione vicinæ Barbariei tutos præstandi non desint artes: qvas Tibi non defore speramus.

Ideò enim Te nobis constanter qvoq; optamus *Prudentem*, ut Te ad prævidenda omnimoda Patriæ hinc in commoda inde utilitates, *Argum* habeamus centoculum: & *Strenuum*: ut in illis subitò amoliendis, hisce promovendis, *Briareum* habeamus centimanum. Et qvia prudentiæ non postrema pars erit observare, si qvid fuit, qvod Prædecessores Populo huic reddebat suspectos, ut caveatur, fuit autem perpetua ferè intentati jugi suspicio: eam proinde Tu, prudentissime Princeps, ut Scyllam & Charybdin vitabis. *Strenuitatis* autem præcipua pars erit ad omnia, qvæ fiunt, pervigil Oculus: qvùm non deceat dormitare illum, qvi ad clavum sedet, præsertim tempore, qvô Navis tempestate jactatur. *Nullum autem Mare tàm graves habet tempestates unqvam atq; omne Regnum assiduè*, inqvit Veterum nonnemo. Semper itaq; Principi vigilandum est, neqvid erret: qvia non nisi publicâ pernicie errare potest.

Expediet etiam Te constanter *Fortem & Magnanimum* esse: ut neqvid sit, qvod Te à salutariter in publica cõmoda cogitatis avertere possit. Sicuti nec animũ frangere, si non omnia semper ex voto

eve-

eveniant: aut si qvibus prodesse qværas, ingrati sint. Qvis plura mortalibus beneficia exhibet Deo ipso? & qvis plus reportat ingratitudinis? Frustra speres, Serenissime Rex, ullâ obtinere arte ut placeas omnibus; in eo præsertim Populo, ubi omnibus adeò diversum est, & plerisq; corruptum palatum. Sufficiet placere Deo & illis, qvibus Deus & Virtus cordi sunt: cæteri eminus seqventur, tametsi non omnes asseqvantur, præfulgidum illum & amabilem, Dei, Virtutis, Tuum splendorem.

Clementiam verò, singulare illud Regum ornamentum, diuturnitatisq; Regnorum basin, prorsus facies Tuam: non sub initia tantùm, (juxta illud Taciti, *Novum Imperium inchoantibus utilis Clementiæ fama*) sed perpetuò. Qvippe Illius tantùm Principis magnitudo stabilis est, qvē omnes non tàm SUPRA se qvàm PRO se esse sciunt, & cujus curam pro salute suâ excubare intelligunt. Nempe Bonus Princeps non aliò animò esse debet in suos Cives, qvàm bonus Pater familias in suos Domesticos; qvid enim aliud est Regnū, qvàm magna Familia? Talem si Te hoc Tuo in Regno exhibueris, efficies, ut Te plus ament qvàm metuant Tui: adeoq; nemo bonus metuat, soli sibi malignitatis conscii. Qvin & hi, si emēdabiles, potiùs Te sentiāt emendatorē, qvàm perditorē. Nempe qvia Clementia potissimùm circa ignoscendas culpas versatur, bonum est Poëtæ monitum:

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox:
Qviq; dolet qvoties cogitur esse ferox.

Et qvia *summum in Regibus bonum est justitiam colere, ac sua cuiq; jura servare* (verba Gregorii Magni sunt:) *nec sinere qvod potestatis est, fieri, sed qvod æqvum est custodiri.* Tu ergò summus Justitiæ Tuo in Regno Præses, ut Nemo usqvam innocens lædatur, Nemini non, qvod suum est tribuatur, nec aliter qvàm pro meritis cuiqvam, seu bono seu malo, eveniat, summè accurabis: Etiam in bonorum & Honorum distributione, non alia qvàm merita spectans, sine prosopolepsia ulla; non Viris dans officia, sed officiis Viros. Habes hoc in Regno publicè benefaciendi amplissimā facultatem, qvalem vix qvisqvam in Europa Regum; si sapiens Majorū Institutum legitimū revocetur in usum. *Nobilitas egentior pecuniis Juvanda est à Principe,* inqvit Tacitus: ne videlicet virtutibus alicubi obstet res angusta domi, & qvi per virtutem egregiè Patriam juvare possent, ut ne defectu nervi

nervi deficiant. Expenderunt hoc probè, qvi Remp. Polonam formârunt: dum possessionũ terrestrium ad minimum sextam Regni partem in certos Capitaneatus distribuerunt, assignatos & assignandos (suis cum reditibus) iis, qvi qvàm optimè de Patria meriti aut merituri essent, ipsorũ Regum, tanqvã publicæ salutis Custodũ, arbitriô. Pulchrè admodum. Sed pulchrũ hoc Virtutẽ Civium præmiis provocandi machinamentũ tetrum in abusum, ut cætera, venerat; dum non accipiebat qvi meruerat, sed qvi emerat, seu pretiô seu adulatione. Qvæ res infinitarum confusionum scaturigo fuit: qvas Tu Rex sapientissime ac justissime sistere poteris, si hæc Reip. beneficia nonnisi juxta merita distribui curaveris: ut non accipiat qvi accurrit primus, sed dignissimꝰ: seu præsens seu absens, seu poscens, seu poscere verecundans. Qvô sine bonum esset Te supremũ Tuo in Regno virtutum Æstimatorem, omniumq; publicorum bonorũ & honorum Diribitorẽ, Calendarium publicorum Beneficiorũ habere constitutum: in qvo data & danda, cum catalogo illorum qvi beneficiô Reipubl. vivunt, aut vivere digni sunt, consignata exstent, ad errores hîc faciliùs posthac præcavendos.

Justitiæ qvoq; insignis pars erit *Libertates promissas, aut etiam juratas, tueri, & unicuiq; servare: Religiosas præsertim.* Acqviesces ergò Rex Populorũ esse: Conscientiarum Regem patieris esse Christum: ut Antecessores Tui, Sigismundus Augustus, Stephanus, & qvicunq; regnârunt feliciter, suô contenti soliô, Dei non invadentes Thronũ. Observabis (est enim observabile) Poloniã, jam Tuam, ob Religiosa dissidia nondũ se fraterno Christiano sangvine cruentâsse: nec alienum hac in re fine scientia Zelũ imitatam. Constituisse potiùs jam pridem Civibus suis Religione dissidentibus mutuam Tolerantiam, juratô fœdere firmatam. Hoc ergò Religiosum Fœdus, & serva Ipse, Religiosissime Rex, & servare alios coge, violari prohibe. Perjuria semper fuêre abominationi Domino, nec illa dimittit impunita, etiamsi Turcæ data non servetur fides. Recordare Uladislai & Varnæ! si hîc alii peccant (qvi hæreticis non servandã esse fidem malè opinantur) qvid hoc ad Te? Peccent si volunt alii, nõ Tu: provocentq; ultionem Dei alii, non Tu. Juravit enim per seipsum Deus, ne Regum qvidem ulli se condonaturum juramenti prævaricationem. Ezech. 17, v. 16. ad 21.) Cave igitur, Rex, cave per sanctum Dei nomen!

Jamq;

Jamq; aliud accipe,per qvod salutare TE servatorem suum qveat Polonia: ut sis *Rex Pacificus*. Notum est illud*: Salus Reipubl. in Legibus est:* Illud item, *Inter Arma silent Leges:* cujus veritatem tot annis suorũ & hostiliũ Armorum collisione misera experitur Polonia, tot violentiis totalem in dissipationem data. Tu ergò Rex optime, ut Reipublicæ salus redeat, Pacem reducito: utq; redire qveat Pax, Arma qviescere jubeto, simul atq; Virtuti Tuæ adversantia conqvassata fuerint arma. Non Æolum Te sibi jam optat Polonia, bella ex Bellis (qvibus misera succubuit) proflantem, sed Solem nubila dispellentem, serenitatemq; rebus suis reducentem. Satis jam irati Dei procellarum subvertentium montes, & conterentium petras, concutientiumq; terram, & absumentiũ igne, experta est. Jam sibilum auræ lenis prospectat. Desinant ergò sub Te Principe Pacis turbines & procellæ, domi forisq;. Desinat qvisq; alium, seu ob Religionis diversitatem, seu aliam qvamcunq; ob differentiã, perseqvi aut affligere, Te litigiorum seqvestrô, concordiæq; Magistrô. *Solet populus*, inqvit Gregor. Nazianzenus, *etiam si ad tempus iram cohibeat, tanqvã ignis in ligno delitescens, aut fluvius vi coercitus, occasione iterum oblatâ reaccendi & erumpere*. Qvod ne in Tuo eveniat Populo, non sopire tantùm, sed extingvere penitùs, mutuorum odiorum ignẽ qværes: idq; non studia, qvibꝰ in contraria scinditur vulgus, fovendò, neq; rursum illa tanqvã torrentis impetũ, vi coërcendo; sed prudenter aliovorsum derivandò, qvò se nullâ cujusqvã noxa effundat. Deriva igitur sapiens Aqvilex! occupando Gentis hujus industriã Pacis & Concordiæ artibus, ut ne se vanis & noxiis intricare, perplexare distrahere ac dissipare, pergant.

Optat qvoq; Polonia Te sibi liberalem, ingenuũ, apertum, qvô & ipsa ingenio est: non occultum, tectum, insidiosum, qvalia odit. Machiavellistas ergò, qvi Tibi arcanas Populum frenandi instillare velint artes, ne admitte; Diabolismũ resipit qvicqvid versutiam redolet. Deus omnes homines liberos fecit, Satanæq; astu sub jugum missos per Filium libertati restituit: qvi artes suas, salvandi nos, nõ in occulto habet, omnia in propatulo peragit, in Ecclesiæ Ministerio. Tu ergò si salutare Opus, qvod Tibi hoc cum Populo susceptum est, agis, publicè age. Et qvia Te id agere multi credunt, & exspectant (*publica autem exspectatio magni secreti impatiens est*, monente, Tacite) fac ne aliud suspicandi cuiqvam ansa rejicta sit, malignissimo etiã. In Sole fint, qvæ Sole teste peragi debent. Et qvia *Vulgus amicitias utilitate probat*, promitte utilia, Libertatem omnigenam, & inde venientem Pacem, Securitatem, Rerum abundantiam, Florentemq; statum probabit. Sed ita, ut non promittas solùm, præstes etiam. Præstabis autem, si ductum Tuum seqvi non renuent Illi, Tu autem Dei: qvi non solet non prosperare consilia

ipsius consiliis (pro salute mundi) consona, cum invocatione Nominis ejus suscepta, & in ejus gloriam directa.

Qvô vehementer conferet, adeoq; unicè, ut sis constanter PIUS, Deoq; Tuo intimè adhærens. *Cor Principis sicut Prudentiæ oculus, Justitiæ libra, Fortitudinis sedes, Gratiarum fons, ita & Dei Templum esse debet*: demumq; cum Deo, & in Deo Virtutem faciet, stabilisq; cum omnibus negotiis suis, & eorum qvi ab eo pendent, erit. Aliàs, sicut *Paxillus, nisi benè fixus firmiter alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet, dilabitur cum omnibus ad terrã: sic & Princeps, nisi suo Conditori pertinaciter adhæserit, & ipse, & omnis qvi ei consentit, citò deperit*, scribit Augustinus Pater. Cui addo illud cujusdam Christiani Politici: *Credere Mundum humanis consiliis regi, subtilis atheismus est.*

Has virtutes dum levi delineo penicillô, non aliqvid à Te diversum, sed Te ipsum Tibi ostendo, Princeps clarissime: eô fine, ut dum Virtutũ Tuarũ conscium esse Mundum intelligis, à Teipso nusqvam abeundi necessitatẽ Tibi imponi sentias. Si secùs feceris, publicâ noxâ feceris. Ut enim Solis eclipsis Terræ tenebras infert, rerumq; perniciem secum trahit: ita Regis error, levis etiam, magnam in rebus humanis gignit perturbationẽ. Nempe qvia Regulam in se rectam esse necesse est, si qvæ illi applicantur, corrigi debent: Rex autem Populi Regula est: Recta igitur sit, non plumbea, huc illuc flexilis, sed adamantina. Lapsus erigere lapsum non potest: nec ergò prolapsum Populum levare nisi erectus, sublimis, fortisq; Princeps. Tu ergò sic statues, ô Rex, demum si erectus esse, sublimis, fortis, constanter allaboraveris, magnum simul & firmum Te futurum. Demum potentia Tua non erit Torrens subitis imbribus ortus, & mox desinens: sed Fluvius fontibus æternis scaturiens, eoq; qvàm diu volet Deus perennans, in salutem Gentium. Tantummodo vide, ut saluti Gentium, qvas Tibi subdit Dominantium Dominus, purissima intentione invigiles! & hoc Salutis opus sub auspicia mox Regnorum Tuorum feliciter auspiceris. Sunt enim ad qvæq; rerum initia ardentissimi, non Plebis tantum, sed omnium Nostrûm, animi: nisi tum res inchoantur, frigescunt post Omnia. Et qvia qvo Victoria, eodem Populi favor inclinat, Tibi Victori ut invidere incipiunt multi, ita favere plurimi: videndum erit, ut qvemadmodum istorum invidia Te cautum, ita horum favor ad omnia, qvæ publicæ salutis sunt, alacrem faciat.

Incipe igitur Magne Rex, post magnum celeriter confectum Victoriæ opus, feliciter jam aggredi conficiendũ hoc in Regno *Universalis Pacis* Opus. Universale dico Pacis Opus, ubi Omnibus benè sit, & in Omnibus, & Omnimodè. Incipiat Polonia denuò, demùmq; verè, nescire latrocinia: sed & incipiat nunc demùm nescire diffidia, æmulationes, mutuæ pernitiei machinatio-

natio-

nationes. Incipiant Poloni sub Te vero Salomone suo (dabit Deus!) sedere qvisq; sub vite sua, & sub ficu sua: liberati à metu barbararum Gentium, Mentisq; barbarie. Ita fiet, ut qvemadmodū peritus Pictor ex Tabula bellè confecta voluptatem capit, sicut & Agricola, Olitor, Faber, suis qvisqve Operibus fruitur: ita Tu qvoq; honestissimam inde, constantissimamq; concipias voluptatem, si reductis ad optimas Leges (antiqvas vel novas) in hoc novo Tuo Regno omnibus, Rempublicam Polonam efficias florentissimam, veraq; Pace, & verè aureâ Libertate, fulgide rursum (post superatas tenebras) coruscantem in oculis Gentium.

Si tamen fortè non solius Poloniæ terminis Virtutem Tuam terminari Fata velint: & alio Te, monstrorum domitorem, vocent, qvas superior æternæ Providentiæ subministrare solet occasiones, ibis: Regnumq; Regi Christo, qvi Te qvoq; inter Satellites suos, Regniq; sui Custodes & Tutores constituit, militare; eosq; qvi regnare hunc, super se superbè nolunt, Tartaros, Turcas, aliosq; infideles, ubiubi caput efferre audent, debellare audebis. Nondum enim omnes Illius debellasti hostes, neq; Tuos. Infinito major gloriæ Tuæ superest messis, si ad infinito plures, utraq; tyrannide pressos, liberandum festinaveris. Aude festinare! aude fatorum decreta (ad qvorum tabulas propemodum admissus jam es) exeqvi. Aude nobis *Carolum Magnum*, Imperii Romani; aude *Gustavum Magnum*, Regni Gothici, reparatorem, repræsentare! Et qvia ominosa hæc Nomina (*Caroli & Gustavi*) in Te jungi fata voluerunt, junge qvicqvid Magnum cogitari potest, Rex Magne, tam magnis qvas Tibi fata objiciunt occasionibus. Nec profectò sine omine est, qvod celerrimarum victoriarum Tuarum fama Orientem usq; penetravit Constantinopolimq; terroribus implet. Aude tantum in Christiano prius Orbe res componere! aude Europæos Reges hortari, exemploq; Tuo docere, imponere Bellis finem, optimamq; rerū, qvas homini novisse datum est, qvaqvaversus reducere, pacem! Illam dico unam triumphis innumeris potiorem *Pacem*: illam rerum custodire salutem, & Cives æqvare potentem *Pacem*: illam demum plenum virtutis opus, laborumq; summam, *Pacem*: illam optimum, solumq; unum exactorum Bellorum pretium, Pacem, reducere ut discant & sciant Omnes. Repeto: Discant ex Te Reges *Bella gerere, Pacis causa*: qvod pleriq; nescire videntur. Illi nempe, qvi cum Vicinis bella gerunt perpetua, tanqvā moris causa, tanqvam lusus gratia: ideoq; centum etiam annis Bellum unum non finiunt. At hoc qvid est? Bella redintegrare immani sumptu qvotannis & recrudescente novo semper furore sangvinem fundere perpetuo; & Arces, Urbes, Provinciasq; limitaneas, mutuo sibi jam tradere jam recipere, sine fine? Annon hoc est *Nullo jaculari scopo*? Tu Poloniæ calamitosis tot

anno-

annorumBellis impoſito trimeſtri uno fine, Pacem innumerorũ annorum qvam feliciter inchoas! Ut jam jam totum hoc Regnum, cum omnibus accorporatis ſibi Provinciis, acclamare incipiat, *Nulla ſalus Bello, Pacem Te poſcimus omnes!* Gratulabundaq; de Te ſibi divinitus excitato Hercule, Sarmatia tota, Te ſuum Servatorem, Pacis Reparatorem, Libertatis Vindicẽ, publicæq; Qvietis Reductorẽ, ſalutare incipiat tota. Qvas Tu voces, Victor glorioſiſſime, nõ aliter ac AuguſtusPatris Patriæ titulũ à Populo ſibi acclamatũ, cum lacrymis excipies. Nec tamẽ Te iſta elogiorũ honeſtamenta ſic, ut pueros nuces ſolent, delectabunt: alia Tibi Virtutis ſpectãda, alia exſpectanda, erunt præmia, qvàm inanes id genus, qvibus animæ humiles capiuntur, oblectationes. Præmia Tua Virtus ipſa erunt, progreſſusq; de Virtute in virtutem, qvi à Conſtantia in iis, qvæ heroice orſus es, exſpectãdi ſunt.

Pergeitaq; oſtendere, *Chriſtinam Magnam*, Magni Guſtavi Filiam, nihil majus Sveciæ, imò Chriſtiano Orbi, dare potuiſſe, qvàm qvòd Te dedit. Proavus Tuus maternus Illius paternus, Guſtavus primus, Libertatem reddidit Sveciæ: Tu felixGuſtavi pronepos, Guſtavus Carolus, reddes Poloniæ atq; ſi benigna fata volent, Europæ. Perge tantùm qvò cæpiſti pede! Supremum Numen Opus ſuum, Opus ſalutis Orbis, qvod per Te tàm miraculoſè inchoat, mirabiliter ad exitum deducet. Aude tantùm, Deo nixus, Orbi Chriſtiano tuam illam ſanctam impendere, ut cæpiſti, operam, dilecte Deo! indutusq; virtute ex alto, Eccleſiam crudeliter tot modis, & tot locis, divexatam, Ægyptiacâ ſervitute liberare feſtina, Septentrionalis Moyſes! per deſerta tot ſeculis oberrantem in promiſſæ Terræ reqviem deducere propera, victorioſe Joſua! Madianitas Jehovæ & Tuo gladio disjicere ne trepida, diviniùs excitate Gedeon! A Philiſteis, & omnibus circumjectis Dei hoſtibꝰ, Populũ ſuum vindicare aude, Deo confiſiſſime David! Opponant ſe Tibi ſi volunt, qvicunq; hoſtes! Deꝰ opponet Illis Te, omnipræſentiæ ſuæ ſcutò tectum, omnipotentiæq; ſuæ gladiò armatum à qvo cadant Omnes.

Nihil invictius, poſt Deum, qvàm Religioſus Princeps, qvi opus Dei agit, ſalvandi non perdendi Gentes: & agit cum Deo, Deò non ſe fretus: & agit Deo, Deo non ſibi regna qværens.

Multos habes, qvi Deum pro Te orant, ut ne inferorum poteſtati, qvæ occultas fraudes, dolos, cædes, venena, in Victores, maximè divinam tutantes cauſam, vibrare cõſvevit, qvidqvã in Te permittat: qvinimò ſi qvid furiatũ adverſus Te inſurgere audeat, id totum, ſemper, ubiq;, ipſum cœleſte Numen armis ſuis, tonitru ac fulmine, disjiciat!

Publicis ego votis addo meum: ut Te qvomodo cæpit, porrò etiam victoriis mactet Incruentis! ut felicitatem Tuam fortiter Te ferre, ut victoriis moderatè frui, ut ad alia ſemper majora ſapienter uti, ut oppreſſæ Gentium & Mentium Libertatis vindicem cluere; & ſic Te magnum Gloriæ ſuæ organon, Generis autem humani delicium, fieri jubeat.

FINIS.